l. maritus, ff. de procur. c. conſtitutus, eod. tit. c. ult. de confeſſ. c. 1. qui filii ſint legit. Quod adeo verum eſt, ut etiam invita, & contradicente uxore, agere poſſit, *d. l. maritus*: ibi: *Liberam habeat facultatem.* Sed obſtare videtur text. *in l. 8. C. de pactis conventis*, ubi cavetur, maritum uxore contradicente non eſſe admittendum. Nam reſpondetur, eam conſtitutionem pertinere tantum ab bona parafernalia, de quibus aperte loquitur textus: in illis enim maritus agit tamquam procurator uxoris, & ex ipſius tacito conſenſu eam obligat; iniquum enim eſſet, maritum ſuper illis bonis invita uxore admitti. Diverſa cauſſa eſt in bonis dotalibus, in his enim propter dominium, & liberam adminiſtrationem, quam a jure habet, *l. doce ancillam, C. de rei vindic. l. in rebus, C. de jure dot.* poterit in judicio maritus ſine mandato, & ſatiſdatione agere: quod ſi de bonis propriis uxoris tractaretur, tunc ſi maritus ſine mandato agat, eam non obligat, & ideo neceſſaria eſt cautio de judicato ſolvendo, ut in quocumque alio defenſore, vel ſine mandato agente, *l. qui proprio 46. §. aliud, de procurat. l. unica, C. de ſatiſd.* & conſequenter nullum uxori imminet periculum; dum non eſt, cur poſſit, vel debeat maritus ab ea prohiberi, imo illa invita erit admittendus, *d. l. maritus, in princ.* Nec contrarium ſuadet ipſe text. *in verſ. Sin autem*, ubi cavetur, maritum ab uxore mandatum ſuſcipientem, negotia tantum in mandato præſcripta exequi debere. Unde Accurſius ibi, *gloſſa ult.* deducit, maritum citra mandatum uxoris agere non poſſe. Subſcripſerunt communiter antiquiores, teſte Jaſone ibi, *n. 9.* ubi expendit verba illa text. *Licet maritus ſit*; unde videtur probari, maritum uxore contradicente repellendum eſſe a judicio. Sed reſpondendum eſt, verum eſſe, maritum admitti poſſe, quamvis mandatum ſuſceperit, in aliis quæ mandatum excedunt: neque id negatur *in d. verſ. Si autem*; tantum enim negat Conſultus, maritum admitti poſſe ut procuratorem reſpectu eorum negotiorum, quæ mandato comprehenſa non ſunt, ut docent Salicetus, quem ſequitur Cardin. *in c. 1. nu. 2. qui filii ſint legit.* quod optima ratione confirmari poteſt, quia cum mandatum ſuſceptum ſit ad ampliandam mariti poteſtatem, æquum non eſſet eam reſtringere, quæ alias a jure illi competit, argumento legis *ita inutiliter, ff. de adim. legat.*

9 Explicatur c. conſtitutus, de in integr. reſtit.

Superiori aſſertioni opponitur text. *in c. conſtitutus, de in integ. reſtit.* in illis verbis, *Pro ſe, ac fratre ſuo*; ubi ſine ullo mandato reſcriptum impetratum fuit a Romano Pontifice, & aſſeritur, ſeu potius ſupponitur, valide, & cum effectu fuiſſe impetratum: ergo quia ad impetranda reſcripta Pontificia, nec generale, nec ſpeciale mandatum deſideratur. Pro cujus difficultatis ſolutione Panormit. ibi, *n. 6.* aſſerit in ſpecie illius textus fratres ipſos fuiſſe conſortes ejuſdem litis: quo caſu ſine ſpeciali mandato conſors potuit admitti ad impetrandum reſcriptum, juxta textum in Clement. *Religioſus, de procurat.* Sed hanc ſolutionem merito refellunt Covar. *l. 1. var. c. 6. n. 6.* Caldas *in l. ſi procuratorem, verbo Implorandum, C. de in integ. reſtit. n. 9.* quare placet alia ſolutio ejuſdem Abbatis *ibid.* dum affirmat, in ſpecie fratrem impetraſſe reſcriptum pro fratre, & in cauſſam communem; unde cum ex ſupra traditis conjunctæ perſonæ poſſint pro conjunctis admitti ſine ſpeciali mandato, ideo in eo textu valide impetratum fuit reſcriptum. Qua ſolutione interpretandi ſunt textus *in capit. cum pridem, de pactis, cap. ex p. 33. hoc titul.* cum adductis in eorum notis.

10 Exponitur c. innotuit 20. de elect.

Supra traditis etiam, videlicet reſcripta gratiæ impetrari poſſe ſine mandato ſpeciali, obſtat textus *in cap. innotuit 20. de elect.* ubi petita fuit a Romano Pontifice quædam diſpenſatio ad confirmandam electionem cujuſdam illegitimi, quæ fuerat ob defectum natalium nulla; & tamen ait textus, nuntios fuiſſe ad id ſpecialiter deſtinatos: atque ita probare videtur, deſiderari ſpeciale mandatum ad obtinendam gratiam a Sede Apoſtolica. Cui difficultati ut ſatisfaciant Abbas ibi, *n. 10.* Rebuffus *in praxi, tit. de diſpenſatione, a n. 23.* exiſtimant id ſpecialiter procedere in filiis illegitimis, qui valde exoſi per ſacros canones ſunt, *c. 1. de filiis presbyteror. l. 6.* Quæ ſolutio ex eo diſplicet, quia & verba, & ratio præſentis textus convenire nequeunt diſpenſationibus, quantumcumque odioſæ ſint; neque enim odium inſpicitur in præſenti paragrapho, ut proinde appareat, ſtandum eſſe juri antiquo, ut de ſtylo receptum eſſe teſtatur Bellamera *in d. cap. innotuit, num. 26.* quare verius dicendum eſt, in ſpecie dicti cap. *innotuit*, non agi de ſimplici diſpenſatione ab eo petita, qui natalium defectum patiebatur; ſed de illa, quæ nomine Capituli pro ipſo illegitimo petebatur ad confirmandam ejus electionem: quare Capitulum nuntios miſit ad eam conſequendam. Ita Sanchez *dict. diſp. 26. num. 4.* Baſilius *in dict. cap. 15. n. 13.*

CAPUT XXIX.

a Honorius III. *Cantuarienſi Archiepiſcopo, S. R. E. Cardinali, & Conjudicibus ſuis.*

Dilectus filius I. *b* Sarracenus Clericus expoſuit coram nobis, quod cum Jordanus clericus *c* Dunelmenſem Epiſcopum ſuper Eccleſia S. Nicolai Dunelmenſis coram vobis auctoritate litterarum noſtrarum traxiſſet in cauſſam, ex parte ipſius Joannis in præſentia noſtra fuit excipiendo propoſitum, quod auctoritate litterarum illarum non debebat, nec poterat conveniri, eo quod ultra duas dietas a diœceſi, ubi prædicta erat *d* ſita Eccleſia, contra ſtatuta Concilii generalis, de quo in eiſdem litteris non fiebat mentio, diſtabatis: & quia hujuſmodi ejus exceptionem admittere denegantes, nihilominus procedebatis in cauſſa, pro eo dumtaxat, quod idem Joannes in Roffenſi, & Helienſi *e* Diœceſi *f* beneficia obtinet, quaſi ex hoc ibi domicilium intelligeretur *g* habere, ipſe noſtram audientiam appellavit: ſed ejus appellatione contempta, partem alteram mittendam in poſſeſſionem ejuſdem cauſſa *h* cuſtodiæ decreviſtis. Cumque idem Joannes appellationem proſequutus emiſſam ad Venerabilem fratrem noſtrum *i* Eboracenſem Archiepiſcopum, & ejus collegas, noſtras ſuper præmiſſis litteras impetraſſet, vos in cauſſa ipſa nihilominus procedentes, eiſdem judicibus, ne in commiſſo ſibi procedant negotio, inhibetis. Quocirca diſcretioni veſtræ mandamus, ut ſi eſt ita, cauſſæ ſuperſedeatis eidem, cum non vos, ſed dicti judices cognoſcere habeant, ad quos juriſdictio *k* debeat pertinere.

NOTÆ.

1 a Honorius III.) In ſexta compilatione apud Raymundum legitur tantum, *Honorius III. Cantuarienſi Archiepiſcopo, & conjudicibus ſuis*; ſed diminute, ſuppleri enim debet hæc inſcriptio ex quinta collectione Honorii III. edita ab Innocentio Cironio: quæ inſcriptio ita reſtituta magnopere congruit cum hiſtoria illius temporis; nam Stephanus Langtonus, natione Anglus, publicus Profeſſor Philoſophiæ, & Theologiæ fuit, cui ſi fidem adhibemus Baleo *l. 3. cent. 87.* & Spondano *in continuatione, anno 1240. n. 10.* diſtinctionem Sacræ Bibliæ per capita debemus. Cum eſſet Cancellarius ipſius Univerſitatis, ob morum probitatem, & ſcientiarum peritiam, creatus fuit ab Innoc. III. Presbyter Cardinalis tituli S. Chryſogoni anno 1212. & anno 1217. Archiepiſcopus Cantuarienſis electus fuit, ut referunt Spondanus *in eo anno*, Smitheus *in ſerie Præſulum Cantuarienſium*. Huic enim varias Honorius III. miſit epiſtolas, inter quas primum locum obtinet præſens, quæ compilata fuit ſub titulo *de officio delegati*, in quinta compilatione, quia in ea agitur de juriſdictione judicum delegatorum. De Honorio III. & Cantuarienſi Archiepiſcopo egi *in c. pen. de conſtit. c. 2. de reſcriptis.*

2 b *Sarracenus.*) Ideſt, ex Sarracenis converſus, aut deſcendens, qui nomen conſervavit.

3 c *Dunelmenſem.*) Dunelmenſis Epiſcopatus ſuffraganeus eſt Archiepiſcopi Eboracenſis in Anglia, translatus ex Lindisfarna inſula. Polydorus Vergilius *lib. 4. hiſtoriæ Angliæ*, Cironius *in præſenti*.

4 d *Sita Eccleſia.*) Sed quomodo dietæ computantur a loco rei ſitæ, cum earum computatio debeat fieri a fine Diœceſis, in qua reus commoratur, ut probavi ſupra *in cap. nonnulli, hoc tit.* igitur non recte hic ſupponitur a loco rei ſitæ computationem fieri debere. Gloſſa in hoc textu, verbo *Domicilium*, difficultatem agnovit, & diſcrimen conſtituit inter caſum, in quo reus actione perſonali coram judicibus delegatis convenitur; & inter caſum, in quo reali actione pulſatur: aitque in primo caſu in dietis computandis haberi reſpectum ad Diœceſim domicilii rei conventi, juxta tradita *in d. c. nonnulli*; in ſecundo autem caſu computari dietas a loco rei ſitæ, cujus ratione convenitur, quia quemadmodum reus ratione rei ſitæ ſortitur forum in eo loco, ubi res eſt, *c. ſane 3. cap. fin. de foro compet. l. forma, ff. ſi vero, ff. de cenſibus, l. quando legatur, ff. de judiciis, l. fin. C. ubi in rem actio, l. ſi prædium, Cod. de prædiis minorum*, Oſualdus *ad Donell. l. 17. c. 7.* ita & in impetratione reſcripti extra locum debet haberi reſpectus ad Diœceſim ubi res ſita eſt, ſuper qua lis vertitur, & non ubi eſt domicilium perſonæ, juxta noſtrum textum. Gloſſam ſequuntur Felinus, Zabarella, & Innocentius *in præſenti*, Pet. Greg. *in d. c. nonnulli, n. 9.* Sed hanc diſtinctionem impugnarunt Hoſtienſis, & plerique alii in noſtro textu, moti ex eo; nam conſtitutio Concilii generalis relata *in c. nonnulli*, prohibet reum ultra duas dietas extra ſuam diœceſim a judice delegato extrahi, ut conſtat ex illis verbis, *Extra ſuam diœceſim*. Diœceſis autem ſua dicitur illa, in qua res ſita eſt, nec reus efficitur ſubditus illius judicis, licet ratione rei litigioſæ ſortiatur illius forum, ut poſt gloſſam *in Clement. 1. verbo Subditos, in fin. de foro compet.* probavit Panorm. *hic n. 5.* & quia prædicta conſtitutio, ut prohiberet extractionem rei extra duas dietas, rationem habuit laboris in itinere peragendo, & ſumptuum, quos ipſe facere deberet. Hæc vero attenduntur habito reſpectu ad diœceſim, ubi perſona reſidet, non ubi res ſita eſt: ergo a diœceſi propria dietarum computatio fieri debet, nec contrarium ſuadent verba ſupra relata præſentis textus; nam tantum continent allegationem partis, non vero Pontificis reſponſum; pars enim intendebat dietas eſſe computandas a fine diœceſis, ubi res petita exiſtebat: nec Pontifex appellationem partis approbavit, ſed tantum cauſſam commiſit Archiepiſcopo Eboracenſi.

5 Exponitur c. ex parte, de foro compet.

Sed antequam hinc abeamus, exponendus eſt text. *in c. ex par. 15. de foro compet.* ubi cum Regina Angliæ nobilem virum detentorem cujuſdam caſtri ad ipſam ratione donationis propter nuptias ſpectantis, quo fuerat propter ipſum injuſte ſpoliata, coram delegatis judicibus auctoritate litterarum Innocentii III. in judicium vocaſſet, Nobilis eam exceptionem oppoſuit, videlicet litteras Apoſtolicas vires non habere ex eo, quod caſtrum, ubi erat ejus domicilium principale, exiſtebat in diœceſi Rodonenſi, quæ ultra duas dietas remota erat a diœceſi Turonenſi, ubi conveniebatur. Regina replicavit, nobilem ibi poſſe conveniri, eo quod non ſolum in diœceſi Rodonenſi, ſed etiam in Andegavenſi exiſteret, & caſtra, plureſque reditus ibi obtineret ſimul cum caſtro, de quo diſceptabatur; & eadem diœceſis a Turonenſi nequaquam ultra duodecim leucas diſtabat. Plures alias exceptiones Nobilis objecit ad elidendam vim litterarum; ſed eis reſervatis ad petitorium judicium, Pontifex judicibus delegatis juſſit, ut ſi conſtaret Nobilem habere caſtra, & manſiones in Andegavenſi diœceſi, ipſamque ultra duas dietas a Turonenſi non diſtare, in eaque caſtrum litigioſum reperiretur, ratione prævia in negotio procederent. Cujus textus deciſio difficilis eſt ex eo, quod ſi computatio dietarum ſit a fine diœceſis ubi reus habitat, fruſtra exigitur ibi, quod in diœceſi ſit res, ſuper qua quæſtio vertitur: ergo quia dietarum computatio a loco rei ſitæ fieri debet. Cui difficultati, omiſſis ſolutionibus, quas refert, & refellit Panormit. *ibi, n. 4.* reſpondendum eſt, quod ſi reus conveniatur coram judice ordinario loci, in quo res litigioſa ſita eſt, quamvis ultra duas dietas ab eo loco diſtet, non poteſt opponere exceptionem dietarum, ſed ibi debet reſpondere, quia jure cautum eſt, poſſe quem conveniri ubi res eſt, *d. cap. fin. de foro comp.* nec tunc locum habet exceptio duarum dietarum, ſi coram judice delegato conveniatur reus in loco rei litigioſæ; quia cum ſortiatur ibi forum, & poſſit coram Ordinario conveniri, eodem modo, & coram delegato; quippe deterior ejus conditio hoc caſu non redditur, nec proprie extrahi dicitur: ſi extra diœceſim, ubi res petita ſit, exiſtit, cauſſa a Pontifice committitur, tunc quia cum cauſſa agitur, computatio dietarum fieri debet a loco domicilii rei conventi; & ſi plura habet domicilia, prout habere poteſt, *lib. aſſumptio, §. juris, ff. ad munic.* debet fieri a principaliori loco habitationis, & domicilii; nam inde proprie trahitur, ubi pro majori parte ſe collocat, & habet domicilium principale: & conſtitutio de duabus dietis edita, ſumptus & labores rei, qui trahitur, præ oculis habuit, niſi in diœceſi ubi reus minus principale domicilium habet, res ſita ſit; tunc enim ab eo loco dietæ computari debent, quia illis duobus concurrentibus ſimul, videtur ſuum domicilium principale quoad cauſſam ſubjectam; nam duæ cauſſæ vincunt unam, *c. 1. de tregua, & pace, l. 3. in fine principii, de liber. legat.* Cum ergo in ſpecie tex. *in d. c. ex parte*, extra diœceſim rei cauſſa delegaretur, computatio dietarum fieri debebat a diœceſi Rodonenſi, ubi domicilium principale vir nobilis habebat, quæ a Turonenſi ultra duas dietas remota eſt. Sed cum in diœceſi Andegavenſi minus principale haberet domicilium, quia interdum ibi habitabat, non ſemper, ut ex littera conſtat; & res litigioſa ſimul ibi eſſet, ex dicta ratione computantur inde dietæ, & judices delegati juxta ſeriem priorum litterarum in cauſſa procedunt, cum ultra duas dietas a diœceſi Turonenſi ipſa non diſtaret. Tradit Panorm. in eo tex. *n. 9.* & in noſtro, *nu. 3. in fine*, & latius ejus textus materiam proſequuntur Cov. *pract. c. 6. n. 1.* Barboſa *in l. 1. 1. parte, ff. ſol. matr. a n. 46.*

e *Helienſi.*) Sunt duo Epiſcopatus ſuffraganei Cantuarienſi Archiepiſcopi, de quibus dixi *in c. paſtoralis, hoc tit.* 6

f *Beneficia.*) Compatibilia, ſimplicia, vel minus congrua ad ſuſtentationem, alias nemo poteſt duo beneficia poſſidere, *c. de multa*, cum aliis, *de præbendis*. 7

g *Habere.*) Non ſolum enim ratione beneficii, quod quis obtinet, ſortitur forum Epiſcopi, ubi beneficium eſt ſitum, ut omnes de litteris dimiſſoriis ſcribentes docent; verum quoad juriſdictionem contentioſam efficitur de ejus juriſdictione, cum hac diſtinctione, ut ſi beneficium poſtulet reſidentiam, cenſeatur ibi domicilium habere, & ejus ratione ibi conveniri valeat. Felin. hic *n. 2. & in c. ex ore, de privil.* Bernard. Diaz *in praxi c. 10.* ubi Salcedo Corraſius *in l. Senatore, n. 5. ff. de Senator.* Si vero beneficium non poſtulet reſidentiam, tunc ratione beneficii ſortitur forum, & poteſt conveniri; & ſi duo habeat beneficia, in quolibet loco ubi beneficium habet, conveniri poteſt, Carleval *de jud. t. 1. diſp. 2. n. 146.* Pet. Greg. *hic, c. poſtulaſti 24. de foro com.* Unde in præſenti ſi beneficium poſtulabat reſidentiam, recte Jordanus allegabat, ob beneficium domiciliarium illius loci cenſeri.

h *Cuſtodiæ.*) Quia agebatur de proprietate ipſius Eccleſiæ; nam ſi de poſſeſſione tantum ageretur, ob contumaciam rei actor non poterat mitti in poſſeſſionem; quia miſſio tam ex primo quam ſecundo decreto, in beneficiis locum non habet, *cap. 1. de eo, qui mittitur, l. 6.* dicemus late *in cap. 2. de ſequeſtr. poſſeſſ.* 8

i *Eboracenſem.*) De ea Eccleſia egi *in c. inter 4. hoc tit.* 9

k *Debeat.*) Poſtquam enim cauſſa commiſſa fuit Archiepiſcopo Eboracenſi, & aliis conjudicibus, ſuſpenſa eſt juriſdictio priorum judicum, *c. paſtoralis, §. præterea, de off. Ordin.* & iſti ſecundi judices poſſunt inhibere judicibus, a quibus appellatum fuit, ne in eadem cauſſa procedant, *c. Romana, §. ne pro eo, de off. Ord. l. 6. c. Romana, §. ſi autem, de appel. in 6.* & cognoſcere debent, an ſit legitime appellatum; & ſi legitima eſt appellatio, ipſi cognoſcant de cauſſa, alias ad priores judices remittuntur partes, in expenſis condemnando appellantem, *c. ut debitus 59. c. cum ſpeciali 61. de appell.* Unde judices priores non poterunt inhibere judices ad quos, cum e contra ipſi inhiberi per eos poſſint, Pet. Greg. *in præſenti*, dicemus *in d. c. ut debitus*, ex cujus commentario, & traditis *in c. nonnulli, hoc tit.* petenda eſt præſens repetitio. 10

CAPUT XXX.

Idem *Abbati, & Priori S.* a *Projecti, & I. de Villavvad, Canonico S.* b *Quintini Noviomenſis.*

Capituli S. Crucis *c* Cameracenſis exhibita nobis petitio declaravit, quod *d* Revardo Clerico *e* Noviomenſis Diœceſis ſuper præbendali beneficio in eorum Eccleſia obtinendo, noſtras ad eos *f* monitorias, & demum præceptorias litteras impetrantes, Balduinus Clericus Tornacenſis Diœceſis contra eos ſuper conſimili beneficio in eadem ſibi Eccleſia conferendo ad I. *g* Archidiaconum Tornacenſem, & ejus collegas, de prædictis litteris non habita *h* mentione, exequutorias a nobis litteras impetravit, qui poſt appellationem ad nos interpoſitam, in eos ſuſpenſionis ſententias protulerunt: ac dictus R. ſuper exequutione mandati noſtri pro eo facti, ad *i* Scholaſticum S. Quintini Noviomenſis Diœceſis, & conjudices ejus obtinuit ſcripta noſtra, qui tulerunt *j* ſuſpenſionis, & *k* excommunicationis ſententias in eoſdem. Unde nobis humiliter ſupplicarunt, ut quum in eadem Eccleſia duodecim tantummodo ſint *l* præbendæ, & ob hoc non ſine magno gravamine ſimul providere poſſent, utque faceremus eaſdem ſententias relaxari, & provideri eorum alteri in eadem Eccleſia de præbenda; præſertim cum in utriuſque litteris clauſula illa contineretur inſerta (Niſi eadem Eccleſia de mandato noſtro foret in alterius receptione gravata.) Quocirca diſcretioni veſtræ mandamus, quatenus eo recepto in Canonicum, & in fratrem, aſſignatoque ſibi beneficio *n* præbendali, qui ad eos prius Apoſtolicum mandatum reportavit, præfatas ſententias juxta formam Eccleſiæ, ſublato appellationis obſtaculo relaxetis, alteri ſuper præbendali beneficio in eadem Eccleſia ſilentium imponentes.

NOTÆ.

1 a S. *Projecti.*) In ſexta collectione perperam legitur, Epiſcopo, & Archidiacono Legionenſi; quare litteram cum inſcriptione reſtituo ex quinta collectione edita a Cironio, ubi *ſub hoc tit. c. 1.* reperitur præſens textus. Monaſterium S. Projecti eſt Ordinis D. Benedicti, diœceſis Noviomenſis, in urbe S. Quintini Veromanduorum, de quo agunt Yepes *t. 2. chron. D. Benedicti, anno 672.* Fratres Sarmatani *t. 4. Galliæ Chriſt. fol. 753.* ejus Abbati Raynaldo II. miſſa eſt præſens decretalis.

2 b *S. Quintini.*) Antiqua Eccleſia Cathedralis in Gallia, cujus Sedes tranſlata fuit Noviodunum, ut refert ex aliis Cironius in noſtro textu.

3 c *Cameracenſis.*) De ea egi *in c. cauſſam 18. hoc tit.*

4 d *Revardo.*) Ita legendum eſt, non *Callimacho*, ut legitur apud Raymundum.

5 e *Noviomenſis.*) Noviodunum, nunc Novionus, eſt in Gallia Belgica, Picardiæ nobilis civitas, ſuffraganea Archiepiſcopi Cameracenſis, ut referunt Fratres Sarmatani *t. 3. Galliæ Chriſt. fol. 809.* eam Eccleſiam unitam fuiſſe cum Tornacenſi, refert Petrus Marcha *l. 4. concordiæ ſacerd. c. 13.*

f *Monitorias.*) De his litteris agemus *in c. ex inſinuatione, hoc tit.* 6

g *Archidiaconum.*) Ita legendum eſt, non Archiepiſcopum, ut etiam notavi *in c. eam te 7. hoc tit.* 7

h *Non habita mentione.*) Sed tunc obſtat text. *in c. ceterum 3. hoc tit.* ubi expreſſe ſtatuitur, ſecundum reſcriptum abſque mentione prioris impetratum, nullum eſſe: ergo & in præſenti caſu ſecundum reſcriptum nullum erat. Cui difficultati ſatisfaciendum eſt ex traditis *in d. c. ceterum*, aſſerendo illum textum procedere, quando ſuper una, eademque re duo reſcripta impetrantur; ſecus vero ſuper diverſis, ut in præſenti caſu impetratum fuit, videlicet ad ſimile beneficium, non ad idem; quia ſimile non eſt idem. Quintilianus *inſt. l. 10. c. 2.* 8

i *Ad Scholaſticum.*) De eo egi *in c. cum dilecta 22. hoc tit.* 9

j *Suſpenſionis.*) Certum eſt, Capitulum, ſeu aliam communitatem, corpus collectivum conſtituentem, ſuſpendi poſſe, *c. quia ſæpe, de elect. in 6. extrav. 1. eod. tit. circa finem*, Trident. *ſeſſ. 14. de reform. c. 16.* docent Suarez *de cenſuris diſp. 28. ſect. 3. num. 5.* Marius Alterius *eod. tract. diſp. 7. cap. 5.* Gibalinus *eod. tract. diſp. 4. quæſt. 5.* Leander *diſput. 1. de ſuſpenſione, quæſt. 5.* Sed talis ſuſpenſio dupliciter conſiderari poteſt: primo 10

BIBLIOTECA CENTRAL

quatenus per eam tantum ſuſpendatur Capitulum, ſeu communitas ab illis actibus, qui competunt Capitulo collective ut Capitulo, plerumque enim Capitulo competit aliqua juriſdictio, ſeu beneficiorum collatio, quæ per ſuſpenſionem in Capitulum latam ſuſpenduntur, *d. c. quia ſæpe*; tunc enim talis ſuſpenſio cadit formaliter in ipſum Capitulum, non vero in ſingulos Capituli. Secundo modo ſuſpenſio fertur in Capitulum ita, ut per eam ſinguli ex corpore Capituli ſuſpendantur ab officio, aut beneficio, *d. c. quia ſæpe*: poſſunt enim ita ſinguli imperare unam actionem, ut propter eam valeant ut ſinguli ſuſpendi, docet Gibalinus *ubi ſupra*: ſed ſi ſuſpenſio ſimpliciter, & abſolute feratur, credimus ſuſpenſionem cadere in Capitulum collective ut unum corpus eſt, non autem in ſingulas perſonas diſtributive, niſi aliud ex materiæ circumſtantiis deducatur, ut in præſenti; nam cum dicatur ſuſpenſionem latam eſſe in eos, credendum eſt ſuſpenſionem non in Capitulum collective, ſed in ſingulos diſtributive latam eſſe. Ex his verbis notandum eſt, quod quoties occurrunt diverſæ cauſſæ per ſe ſufficientes ad ferendam cenſuram, eam multiplicari poſſe, vel a pluribus judicibus, vel ab eodem, *c. ita quorumdam, de Judæis*: ita Garcia *de beneficiis part. 8. c. 3. num. 86.* Covar. Molina & alii relati a Gibalino *de cenſuris ſect. 5. qu. 4. fol. 157.* Leander *eod. tract. diſp. 3. qu. 33.* Ratio perſpicua eſt; quamvis enim ſubjectum privatum aliqua forma, non poſſit amplius illa privari, ad hoc enim neceſſe eſt formam tolli a ſubjecto, a quo tolli non poteſt, ſi in illo non eſt; in illo autem non eſt, ſi privatio ipſi oppoſita ſit: & ſane non eſſe, non poteſt augeri, aut minui, niſi poſito, aut ſublato eſſe; tamen cenſuræ non ſunt formaliter privationes, ſed cauſſaliter; tantum enim privant ſubjectum uſu legitimo bonorum ſpiritualium, conſtringuntque manus excommunicati, aut ſuſpenſi, ne libere & licite exequatur officium ſuum, ut notat Gibalinus ſupra: unde ob eas cauſſas formaliter diverſas non eſt dubium a diverſis judicibus diverſas cenſuras in eumdem ſubditum ferri poſſe, cum ſint contumaciæ diſtinctæ; ſic in præſenti Clerici Cameracenſes potuerunt a diverſis judicibus ſuſpendi.

11 k *Excommunicationis.*) Sed quomodo excommunicari poterat Capitulum, cum excommunicatio in univerſitatem, collegiumve, ſeu aliam communitatem prolata, ſit invalida, *c. Romana, de ſent. excom. l. 6.* Covar. Suarez, & alii congeſti a Gibalino *de cenſuris diſquiſ. 2. q. 5.* P. Mendo *de jure academico l. 1. qu. 35.* Ritherurſius *in notis ad Salvianum, fol. 221.* ex defectu capacitatis in ſubjecto; ſi enim excommunicatur communitas ut eſt unum corpus collectivum, & perſona quædam ficta, & ita ut excommunicatio non feratur in ſingulos, communitas incapax eſt, cum per ſe committere peccatum lethale nequeat, quod ad excommunicationem deſideratur, *c. nemo, c. nullus, 11. q. 3.* Si excommunicatur communitas, ut cenſura transfundatur in ſingulos communitatis, etiam tunc neutiquam ſuſtinetur, cum non omnes communitatis nocentes reperiantur: aliqui enim innocentes erunt. Quare cum hæc omnia vera ſint, reſpondendum eſt, in præſenti textu non fuiſſe prolatam excommunicationem in ipſum Capitulum, ſed tantum in clericos ipſius Capituli: licet enim communitas ipſa non poſſit excommunicari, tamen omnes, & ſinguli clerici ipſius communitatis excommunicari valent. Leander *de cenſuris d. diſp. 3. q. 27.* quo modo etiam procedunt, & accipiendi ſunt text. *in c. ſignificavit, de exceptionib. c. clerici 8. de immunit. Eccleſ.*

12 l *Præbendæ.*) Plerumque enim ex ſtatuto Eccleſiæ certus, & determinatus eſt numerus præbendarum, ut notavi *in c. cum acceſſiſſent, de conſtit.* ut etiam eveniebat in Eccleſia Cameracenſi; ſed tunc non levis naſcitur difficultas *ex c. conſtitutus 19. hoc tit.* ubi in non diſſimili ſpecie aſſeritur, quod ſi impetretur reſcriptum ad præbendam, ubi certus eſt præbendarum numerus, non aliter reſcriptum vires habet, quam ſi mentio fiat in eo numeri ſtatuto Eccleſiæ determinati, alias reſcriptum nullum eſſe: igitur idem dicendum erat in præſenti caſu. Pro cujus difficultatis ſolutione, donec alius meliora attulerit, credebam reſponderi poſſe, in Eccleſia Cameracenſi numerum præbendarum fuiſſe certum, & ſtatuto determinatum; ſed tale ſtatutum non fuiſſe a Pontifice approbatum, & confirmatum; quare abſque illius expreſſa derogatione, ſeu mentione reſcriptum in præſenti impetratum ſuſtineri poterat.

13 m *Præbendali.*) Canonico enim in numero Canonicorum recepto, debet aſſignari præbenda, ut notavi *in cap. cum M. de conſtit.*

14 n *Mandatum reportavit.*) Aliqui accipiunt hæc verba de eo, qui primus litteras ſuas coram judicibus delegatis præſentavit, ita ut verbum *reportare*, pro *præſentare* accipiatur, ut *in c. ex parte 2. hoc tit. c. ſuggeſtum, eod. tit.* in prima collectione. Ita poſt plures Barboſa *in præſenti, n. 2.* Gonzal. *ad regulam 8. gloſſa 3. præmiali, n. 18.* Anteceſſor noſter Arias a Meſa *lib. 3. var. c. 41. n. 3.* Sed verius eſt verbum *reportare*, in præſenti accipi pro obtinere, ut *in l. etiamſi, C. mandati*, ibi: *Contrariam ſententiam reportaverunt*; ideſt acceperunt: *l. ult. C. ad Turpil.* ibi, *reportare vindictam*, ideſt obtinere ſententiam: unde ſenſus Honorii III. in præſenti eſt, ut ille admittatur ad præbendam, qui prior tempore fuit, & ita data reſcripti, non oblatio, ſeu præſentatio attendatur, ut probat Cironius *in notis ad hunc textum, in fine.*

COMMENTARIUM.

Ex hac Honorii III. decretali ita expoſita, ſequens deducitur aſſertio: *In concurſu reſcriptorum non attenditur præſentatio, ſed data.* Probant eam textus *in cap. mandatum, c. litteris, cap. eam te 7. verſic. Nullatenus, c. conſtitutus 16. verſic. Antequam, cap. Abbatem 40. cap. finali, hoc tit. cap. ſi eodem tempore 9. c. ſi duobus, cap. ſi pro te, cap. tibi qui, eodem tit. l. 6. c. eum, qui de præbendis, eodem l. c. 2. in principio, & in §. 1. de decimis in 6. c. propoſuit, de conceſſ. præb. cap. dilectus, el. 2. de præb. cap. conſtitutus, cap. ſi aliquando, de ſentent. excomm. Clem. unica, hoc tit. cap. qui prior, de reg. jur. lib. 6.* Conſonat lex 27. & 29. *tit. 3. par. 5.* Faciunt text. *in l. ſi ita 7. ff. de auro, & argent. l. ſi uſusfructus 26. ff. de ſtipul. ſervor.* Illuſtrant ultra congeſtos a Barboſa *in præſenti*, Marcus Antonius *l. 1. inſtit. tit. 4. n. 26.* Didacus Perez *in l. 1. tit. 12. lib. 3. Ordin.* Caſtillo *lib. 7. controv. c. 41. n. 62.* Valenzuela *conſ. 34. ex n. 31.* Solorzanus *t. 2. de jure Indiar. l. 2. c. 8. n. 20.* plures congeſti ab Arias de Meſa *l. 3. variar. c. 41.* Petrus Pecchius *in dict. regula Qui prior*, D. Michael Moez *in d. c. tibi qui hoc tit. in 7.* Petrus Gregorius, Cironius, & Gagnanus *ad hunc textum.* 15 Concluſio probatur.

16 Traditur ratio decidendi. Sed in præſentem aſſertionem pro ratione dubitandi ita inſurgo: Ex gratia alicujus beneficii a R. Pontifice facta per reſcriptum, tantum competere poteſt parti actio perſonalis: ſed in juribus perſonalibus qualitas prælativa non eſt attendenda ex tempore, ſed ex cauſſa, *l. privilegia, ff. quæ in fraud. credit.* ut cauſſa favorabilis poſterior præferatur alteri priori non æque favorabili, Gloſſa *in c. his, qui de præb. l. 6.* Ergo in præſenti ſpecie non debebat attendi data reſcripti, ſed cauſſa ejus conceſſionis. Augetur primo hæc dubitandi ratio ex eo, nam ſi aliquod tempus in reſcriptis attendi deberet, maxime tempus præſentationis, ut in ſpecie probatur *in c. plerumque 23. hoc tit. c. ſuper eo 12. de appell.* & a ſimili ex eo, nam ſi duobus eadem res vendatur, non primus in venditione, ſed qui adeptus fuit rei poſſeſſionem præfertur, *l. quoties 15. C. de rei vind. l. ſive autem 9. §. ſi duobus, ff. de public.* ſimiliter in duobus concurrentibus ad judicium, ille præfertur, qui primo libellum dedit, *l. prior, ff. de judiciis*: ſimiliter in duobus collitigantibus, qui prius litem conteſtatus eſt, *l. amplius, ff. rem ratam haberi, l. ſi ex duobus, ff. de duob. reis*: ergo ſimiliter, reſcriptorum concurſu, non qui prius illud impetravit, ſed qui prius præſentavit, præfertur. Secundo fulcitur hæc dubitandi ratio ex eo; nam ſi tempus præſentationis non attenderetur, deberet inſpici tempus ipſius gratiæ, ideſt, in quo Pontifex beneficii gratiam fecit, non vero tempus datæ, hoc eſt expeditionis reſcripti; ſiquidem ſolo verbo Principis gratia perficitur, ut probat Barboſa *in præſenti, n. 4.* Ergo tempus datæ nunquam attendi debet.

Qua dubitandi ratione ita fulcita minime obſtante, vera eſt præſens aſſertio, cujus ratio, præmiſſis, quæ de data, ſeu die adjiciendo in reſcriptis adduxi *in cap. 23.* ſupra, *hoc tit.* ex eo provenit; nam cum in gratiis faciendis gratia ex parte concedentis, non vero ex exequentis metiatur, *cap. cum qui de præb. l. 6.* ideo qui prius gratiam adeptus fuit, non qui præſentavit prius litteras, præferendus eſt. Accedit, nam qui prior eſt tempore, potior eſt jure; regula *Qui prior, de regul. juris in 6.* dicemus *in cap. 1. de majorit. & obedient.* ergo qui prius gratiam adeptus fuit, debet præferri in concurſu reſcriptorum. Accedit vulgare illud pragmaticorum axioma, Prius vocatum, ſeu nominatum, cenſeri magis dilectum: ergo debet præferri in concurſu duplicis reſcripti ad beneficium, qui prius gratiam Pontificis meruit, non vero, qui prius præſentavit reſcriptum; cum ex eo, quod fuit prius vocatus, præſumatur magis dilectus. Merito ergo hic deciditur, ex duobus concurrentibus ad beneficium virtute reſcripti, illum præferendum eſſe, qui prius gratiam reportavit. Noſtra tamen aſſertio aliquas patitur limitationes. Prima, ſi reſcriptum ſecundum contineat clauſulam retrotractivam, ſcilicet *anteferri aliis*, de qua *in cap. penult. de præbend. in 6.* tunc enim ſecundus in gratia præfertur priori; item ſi primus, qui impetravit reſcriptum, ſit incapax illius, ut ſi tunc non ſit Clericus, *c. ex litteris 6. de tranſaction.* quæ qualitas requiritur in impetrante beneficium, ut in noſtro textu notant omnes antiquiores; vel ſi beneficium, quod vacavit, non poſſit obtineri a primo impetratore, veluti ſi vacavit per obitum patris ejus, quod immediate a filio occupari non poteſt, *cap. 2. c. ex tranſmiſſa, de filiis presbyt.* Deinde præfertur ſecundus impetrator, ſi primus dolo, negligentiave non ſit proſecutus juſſum, vel ſi gratiæ ſuæ renuntiaverit, *c. querela 4. de reſtit. ſpol. c. ad audientiam 31. hoc tit. d. c. tibi, hoc tit. in 6.* vel ſi ſententia lata adverſus primum, ab ea appellatum ſit. Gloſſa *in c. 1. verbo Repellendi, de conceſſ. præb.* & etiam ſi ob negligentiam vacante præbenda, ad quam jus habebat, non petierit collationem; tunc enim in pœnam negligentiæ privatur jure prioritatis, quod habebat, ut probat Petrus Gregor. hic *n. 9.* Etiam limitatur noſter textus in caſibus propoſitis *in c. tibi, qui de reſcriptis l. 6. c. ſuper te 41. eod. tit. c. quia ſæpe, de præb. eod. lib.* & aliis infra referendis. 17 Traditur dubitandi ratio.

Nec jam obſtat dubitandi ratio ſupra adducta; nam ſententia Pauli *in dicto lib. privilegia*, procedit, cum agitur de privilegiis perſonalibus, non vero in realibus privilegiis, in quibus non cauſſa, ſed tempus ſpectatur; quare cum in præſenti ſpecie agatur de concurſu duarum gratiarum realium, ſeu ad rem pertinentium, videlicet ad beneficium, non ex cauſſa, ſed ex tempore prioritas earum æſtimatur. Nec obſtat augmentum primum difficultatis 18 Diſſolvitur ratio dubitandi.

tis deductum *ex dicto capitul. plerumque 23.* cum ſimilibus, de cujus ſolutione numero ſequenti agemus. Neque exempla ibi adducta in contrarium nos movent; procedunt enim in actibus, in quibus abſque traditione nullum acquiritur jus, ut ait Moez *ubi ſupra, n. 14.* in concurſu vero reſcriptorum ante præſentationem quilibet habet jus ad beneficium, quare non datur eadem ratio. Nec obſtat ultimum augmentum ipſius difficultatis; nam idem eſt tempus datæ, & tempus gratiæ: ſiquidem non credimus gratiam factam fuiſſe a Principe, donec litteræ expeditæ ſint a Cancellario, & aliis Abbreviatoribus, ut aliis relatis probat Barboſa *in præſenti*: quare dum Pontifex in hoc textu, & aliis ſupra adductis, affirmat in concurſu reſcriptorum attendi tempus datæ, accipiendus eſt, ac ſi decreviſſet expectandum eſſe tempus gratiæ factæ.

19 Intelligitur caput ut debitus, de appell. Supra traditæ aſſertioni opponitur text. *in c. ut debitus 5. de appell.* in illis verbis: *Priuſquam delegato fuerit aſſignata*; in quibus probari videtur, non attendi tempus datæ in reſcriptis, ſed tempus aſſignationis, ſive præſentationis factæ coram judicibus delegatis executoribus, in ipſo reſcripto deſignatis. Pro cujus textus expoſitione, & conciliatione cum præſenti textu, diſcrimen conſtituendum eſt inter caſus, in quibus agitur de ſubſtantia, & valore reſcripti, veluti ſi de habilitate, aut inhabilitate impetrantis agatur; & inter caſus, in quibus tantum tractatur de modo exequendi ipſum reſcriptum. In primo caſu, dato concurſu reſcriptorum, tempus datæ attenditur; in ſecundo vero tempus præſentationis: unde cum quæſtio eſſet in præſenti ſpecie circa obreptionem, ſeu ſubreptionem ſecundi reſcripti impetrati ad ſimile beneficium in eadem Eccleſia, quia agebatur de valore reſcripti æſtimando ex prælatione inter duo reſcripta, tempus datæ attenditur, quo caſu etiam procedunt text. *in c. conſtitutus 19. hoc tit. c. gratia 7. c. ſi ex tempore 9. hoc tit. l. 6. c. quia circa, de conſang. & affin. c. 2. de decimis in 6.* Docent Decius *in c. eam te 7. n. 5. hoc tit.* Sanchez *l. 8. de matr. diſp. 30. n. 41.* Ideoque *in Clement. ult. hoc tit.* attenditur ſimiliter tempus datæ, non præſentationis; quia de validitate reſcripti agebatur, ut pro ipſius textus conciliatione cum cap. *quia circa 22. de privilegiis*, tradit Arias de Meſa *d. c. 41. n. 23.* In ſecundo vero caſu inſpicitur tempus præſentationis, veluti in computatione termini in reſcripto aſſignati, *c. ſuper eo, de appell.* vel in computando anno, de quo *in cap. plerumque 23. hoc tit.* unde cum *in d. c. ut debitus*, non agatur de valore reſcripti, ſed de juriſdictione exercenda a judicibus deſignatis in reſcripto, & per conſequens de ejus executione, non tempus datæ, ſed præſentationis attendi debet, juxta tradita ab Arias de Meſa *d. c. 41. n. 5.*

20 Sed adhuc obſtat text. *in c. ſi cui 29. de præb. in 6.* ubi cum agatur de habilitate impetrantis reſcriptum, utrum videlicet habuiſſet ætatem legitimam, necne, non tempus datæ, ſed præſentationis attenditur; quod etiam probatur *in c. ſi qui clerici 8. c. is cui 19. eod. tit. & lib.* igitur quia non attenditur tempus datæ, ſed præſentationis. Augetur difficultas *ex c. ſi eo tempore 9. de reſcr. l. 6.* ubi in eadem ſpecie contrarium deciditur, videlicet quoad ætatem legitimam attendi tempus datæ. Pro iſtorum jurium expoſitione varia tradiderunt Gloſſa *in c. ei cui 29. verbo Nondum*, Francus *n. 9.* quibus omiſſis dicendum eſt, verum eſſe, habilitatem impetrantis deſiderari tempore datæ, non autem ſufficere tempore præſentationis: nec contrarium probatur *ex d. c. ei cui 29.* nam ex eo potius ſuadetur, ætatem eſſe ſpectandam tempore datæ; nam illa verba, *ſi nondum in ætate*, referenda ſunt non ad proxime immediata, ſed ad tempus collationis, ut ſenſus illius textus ſit, quod cui confertur præbenda, debet eſſe in ætate legitima tempore collationis. Minus obſtat text. *in d. c. is cui 29.* nam ibi non agitur de caſu, quem diſputamus. Nec tandem refragatur text. *in d. c. 8.* quia in eo non agitur de defectu ætatis, ſed de defectu gradus ſacerdotalis: & magnum diſcrimen eſt inter utrumque defectum; nam defectus ætatis vitiat reſcriptum, ſi tempore datæ adſit: defectus vero ſacerdotii poteſt ſuppleri ante præſentationem, *c. licet 14. de elect. l. 6.* niſi contrarium in ipſa juris diſpoſitione ſpecialiter caveatur, *c. nemo 15. de elect. in 6.* Nec etiam obſtat text. *in c. ſi pauper 30. de præb. l. 6.* ubi videtur probari idoneitatem requiri tempore præſentationis; nam ibi non agitur de habilitate irritante, vel annullante reſcriptum, ſed de meritis ipſius impetrantis, quæ dari poſſunt tempore præſentationis, & ſic illud tempus ſpectatur. Arias de Meſa *d. cap. 41. num. 21.* Exponitur cap. ſi cui 29 de præbend. in 6.

Etiam adverſatur præſenti aſſertioni text. *in c. quamvis 38. de præb. in 6.* ubi in concurſu duorum reſcriptorum ad beneficium, ſeu præbendam, non præfertur qui prius litteras impetravit, nec tempus datæ attenditur: igitur quia non ex data, ſed ex præſentatione reſcripti prioritas æſtimatur: Cui difficultati ſatisfaciendum eſt ex traditis ſupra *in c. 1.* videlicet præſentem textum non procedere in concurſu duorum reſcriptorum, quorum aliud eſt generale, aliud ſpeciale; quia tunc generali derogatur per ſpeciale, ex *d. c. 1.* quare tunc non attenditur tempus datæ, nec prioritas æſtimatur ex tempore, ſed ex forma, an videlicet generalis ſit, an ſpecialis: quo modo etiam intelliguntur text. *in c. dudum, §. nos igitur, de præb. in 6. c. paſtoralis, §. quoniam, de off. deleg.* Nec tunc obſtat textus difficilis *in c. ex par. 12. de off. deleg.* ubi in concurſu duorum reſcriptorum, generalis, & ſpecialis, attenditur tempus datæ: cujus interpretationem adduxi *in d. c. 1.* 21 Exponitur c. quamvis, de præb. in 6.

CAPUT XXXI.

Idem a *Bituricenſi Archiepiſcopo, Apoſtolicæ Sedis Legato.*

Ad audientiam noſtram, te ſignificante, pervenit, quod quidam *b* laici clerici obtentis a Sede Apoſtolica litteris ſuper proviſione ſua in aliquibus Eccleſiis tibi lege diœceſana ſubjectis, ab Eccleſiis recipiunt annuas penſiones, ſeu alia *c* beneficia; & ſic ab earum impetitione deſiſtunt *d* renuntiantes noſtrarum beneficio litterarum: deinde ad Sedem Apoſtolicam accedentes ſuper proviſione ſua obtinent alias litteras ab eadem, de litteris antea impetratis non habita mentione, & ſic gratia benignitatis Apoſtolicæ abutentes, Eccleſias multipliciter inquietant. Ne ergo tales de ſuæ circumventionis aſtutia glorientur, fraternitati tuæ mandamus, quatenus eos qui poſt litteras noſtras taliter *e* venditas, alias, de illis mentione non habita, impetrabunt de cetero, vel hactenus impetrarunt, *f* carere decernens commodo earumdem, Eccleſias, contra quas fuerint impetratæ, non permittas earum occaſione vexari, revocando in irritum, ſi quid earum prætextu inveneris eſſe factum.

NOTÆ.

1 Biturigum ubi. a *Bituricenſi.*) Ita etiam legitur in quinta compilatione Honorii III. ubi *ſub tit. de præbendis, c. 4.* reperitur textus hic, prout in præſenti tranſcribitur. Biturigum Archiepiſcopalis Galliæ Celticæ civitas eſt, Metropolis Aquitaniæ, cujus meminerunt Plinius *l. 4. c. 17.* Strabo *l. 4.* Ptolemeus *l. 2. c. 7.* Cæſar *l. 7. comment.* Ex quibus ejus ſitum, & originem repetunt Fratres Sarmatani *t. 1. Galliæ Chriſt. fol. 140.* Chenu *in ſerie Præſulum ipſius Eccleſiæ*, Philippus Bertherius *diatrib. 2. cap. 5.* Tamayo a Salazar *in martyr. Hiſp. die 17. Januarii.* Ejus Præſul Patriarcha appellatur *in cap. conqueſtus 9. qu. 3.* Controverſiam ſuper Primatu Aquitaniæ cum Andegavenſi Eccleſia referam *in cap. finali, de majorit. & obed.* Ejus Archipræſuli Simoni de Soyliaco reſcribit in præſenti Honorius, a quo ut Legatus miſſus fuit in Regnum Franciæ, ut Philippum, cognomento *Auguſtum*, invitaret ad ſubſidium Terræ Sanctæ; & creatus fuit Cardinalis tituli Sanctæ Cæciliæ a Gregorio IX. anno 1232. ut de ipſo referentes tradunt Chenu, & Fratres Sarmatani *ſupra.*

2 b *Laici Clerici.*) Sed nonne duo ſunt genera Chriſtianorum, alii Clerici, alii Laici, *c. duo, 96. diſt. c. cleros, 21. diſt.* quomodo ergo confunduntur hic, & ſimul appellantur Clerici laici? Innocentius Cironius in præſenti duplici modo difficultatem diſſolvit: primo aſſerendo in præſenti, Clericos laicos appellari Canonicos illos, qui in Eccleſiis Cathedralibus deſerviunt, ad differentiam Canonicorum Regularium, qui Clerici Regulares dicebantur, ut docuit Boſquetus *ad Innoc. pag. 85.* Secundo affirmat, laicos Clericos dici eos fideles, qui licet in ſacris conſtituti non eſſent, tamen adſcripti erant ſervitio Eccleſiæ, ſeque, & ſua Eccleſiæ devoverant, de quibus in Conc. Tolet. IV. *can. 22.* Cironius *l. 1. obſerv. c. 20.*

c *Alia beneficia.*) Ex his verbis deducunt antiquiores, penſionem beneficium Eccleſiaſticum non eſſe: ſed contrarium meo videri deducitur ex hoc textu; dictio enim, *alia*, implicativa ſimilium eſt, & in præcedentibus eamdem repetit qualitatem: docent, & defendunt Gigas *de penſionibus, c. 1.* Nicolaus *de beneficiis, l. 1. c. fin.* Cæſar *de Eccleſiaſt. diſp. 14. 3. p. §. 7.* & nos dicemus *ad titulum de præbendis, in c. niſi eſſent.* Sed ſi penſio appellatione beneficii comprehenditur, quare qui conſequitur gratiam, ut ei de beneficio in Eccleſia provideatur, non poteſt ejus virtute conſequi penſionem, *c. quamvis 5. hoc tit. in 6.* Cui difficultati ut ſatisfaciat Petrus Greg. *in præſenti, n. 3.* aſſerit, quod ſi expectans beneficium penſionem poſſet obtinere, commodo temporali gratiam beneficii commutare videretur, & crimen ſimoniæ committeret. Quæ ſententia ex eo diſplicet, quod penſio non eſt jus mere temporale; quare in præſenti caſu non intelligitur facta commutatio rei temporalis pro ſpirituali, ſed Eccleſiaſticæ pro Eccleſiaſtica. Quapropter dicendum eſt, penſionem non poſſe concedi expectanti beneficium, quia licet pro beneficio Eccleſiaſtico habeatur, tamen id procedit in penſione jam conſtituta, & in eſſe deducta, non vero in penſione nondum conſtituta, quæ ſtricte accipitur, nec rationem beneficii Eccleſiaſtici habet: & ita in ea non poteſt verificari gratia expectativa beneficii. 3

d *Renuntiantes.*) Poteſt enim, qui habet litteras ad beneficium, illis propria auctoritate renuntiare, *c. ſane, c. veniens, de renuntiatione*, Clement. *Gratiæ, eod. tit.* 4

e *Venditas.*) In hoc caſu non dari ſimoniam docuerunt Flaminius *lib. 14. quæſt. 25. de reſig.* Barboſa *in præſenti.* Sed rectius affirmat dari ſimoniæ crimen Gibalinus *de ſimonia quæſt. 14. conſect. 7. fol. 197.* & dicemus *in cap. inſinuatum, de ſimonia.* 5

f *Carere.*) Nam ſicut qui poſſidet beneficium, tenetur 6

illius mentionem facere in impetratione ad aliud, *c. ad aures*, *c. cum adeo*, *c. ſi proponente*, *hoc tit.* dixi late *in d. cap. ad aures*, ex cujus commentario repetenda ſunt, quæ huc ſpectant: ſic etiam debet de litteris impetratis ad beneficium obtinendum mentionem facere, licet illis renuntiaſset, penſione ſibi conſtituta. Ratio eſt, quia omne ſuppreſsum, quo expreſso difficilis eſset conceſſio Pontificia, inducit ſubreptionem, & reddit gratiam invalidam, *c. poſtulaſti 27. hoc tit.* ſed ſi Pontifex ſciviſſet impetratorem habuiſse litteras, & eis renunciaſse, non ita facile ſecundas concederet, cum per primas poſset conſequi beneficium; & cum per eum ſtetiſset, quominus conſequeretur, perinde habetur, ac ſi illud obtinuiſset, argumento legis *nemo videtur*, *ff. de in integr. reſt.* tum etiam, quia per illam renuntiationem conſtituta penſione, gratia impleta videtur, & per eam beneficium conſequutum; ſubrogata enim penſio in locum beneficii, recipit naturam illius, in quod ſubrogatur, argumento legis *ſi ejus*, *§. qui injuriarum*, *ff. ſi quis cautionibus*, *§. fuerat*, *Inſtit. de actionibus*.

C A P U T XXXII.

Gregorius IX. a *Mediolanenſi Archiepiſcopo.*

IN noſtra propoſuiſti præſentia, quod nonnulli Clerici a Sede Apoſtolica plures litteras (non tamen alias de aliis mentionem facientes) impetrant fraudulenter, quod in pluribus Eccleſiis admittantur: ſicque aliquando in aliis recepti, licet nondum in eis *b* Eccleſiaſticum beneficium ſint adſequuti, alias Eccleſias ſuper receptione ſua nihilominus impetunt, & moleſtant. *Et infra*: Mandamus, quatenus eos Clericos Eccleſiis, in quibus recepti ſunt, faciens eſſe contentos, non permittas alias ab eis occaſione litterarum hujuſmodi *c* moleſtari, niſi de receptione forte ſua expreſſam fecerint mentionem.

N O T Æ.

1 a *MEdiolanenſi*.) Hujus Eccleſiæ originem retuli *in cap. cum adeo 17. hoc tit.*

2 b *Eccleſiaſticum*.) Ex his verbis deducunt Abbas hic *notabili 2.* Barbatia *n. 28.* Felinus *in principio*, Ant. Fabricius *in praxi benef. tit. de intitulat. n. 21. & 34.* canonicatum per ſe non eſse beneficium eccleſiaſticum, nec titulum Eccleſiaſticum ſufficientem ad lucrandos fructus; cum in præſenti aſserat Greg. IX. Canonicum præbendam non habentem, non obtinere beneficium Eccleſiaſticum. Sed eorum ſententia refellitur *ex c. dilecti 19. in fine*, *de præbendis*, ubi aperte docetur, recepto in Canonicum, etiamſi præbenda illi non fuerit aſſignata, diſtributiones quotidianas eſse præſtandas; quod etiam probatur *ex c. cum M. de conſtit.* quare Canonicum, adhuc ei non aſſignata præbenda, vere beneficiarium eſse, recte probant Archidiaconus, & alii antiquiores, quos referunt Flaminius Pariſ. *de reſig. l. 2. q. 1. n.* 101. Nec contrarium docet Gregorius *in præſenti*, in illis verbis, *Eccleſiaſticum beneficium*; nam omiſſis diſtinctionibus traditis a Fabricio *ubi proxime*, *num.* 24. quas refert, & refellit Cæſar *de Eccleſiaſt. hierarch. diſp. 12. 3. p. n.* 44. dicendum eſt, Gregorium in præſenti non negare receptum in Canonicum vere eſse beneficiarium, ſed tantum aſserere, non habere beneficium, ideſt præbendam; utitur enim verbo beneficii pro præbenda, quia præbendæ appellatione comprehenditur, *c. 1. & 2. de conc. præb. cap. tuæ*, *de verb. ſignif.* ac ſi dicat, receptum in Canonicum, adhuc non fuiſse aſsecutum præbendam, ut apertius explicatur *in cap. dilectus*, ibi: *Receptus in Canonicum præbendæ beneficio fraudatur: cap. relatum*, *eod. tit. cap. cum ſuper*, *de conceſſ. præbend.* explicat Sebaſtianus Cæſar *ubi proxime*.

c *Hujuſmodi moleſtari*.) In his verbis deciditur, quod Clericus virtute reſcripti Apoſtolici receptus in Eccleſia Cathedrali, licet nondum in ea præbendam ſit aſsecutus, aliud reſcriptum a Pontifice impetrans de receptione ſua nullam faciens mentionem, ut in alia Eccleſia ei de beneficio provideatur, non poteſt occaſione ſecundi reſcripti aliam moleſtare Eccleſiam, beneficium in ea petendo. Quæ deciſionis pars difficilis ex eo redditur, nam cum ſufficiens tantum beneficium ab impetrante poſſeſſum exprimi debeat in impetratione ſecundi reſcripti pro alio beneficio obtinendo, & is qui virtute primi reſcripti tantum receptus eſt, nullam ſit Eccleſiaſticam præbendam adeptus, ut ex noſtro textu conſtat, non debebat cogi in reſcript pro alia præbenda impetrato de receptione ſua ullam mentionem facere. Difficultatem agnovit Gloſſa in præſenti, verbo *Beneficium*, ex cujus ſententia dicendum eſt, ſecundum reſcriptum non valere in noſtro textu, niſi de receptione in Canonicum mentio fiat, quia licet in Canonicum receptus ex vi reſcripti primi non ſit præbendam aſsequutus, quia tamen Canonicus eſt, jus habet ad præbendam proxime vacaturam, quia non eſt congruum, ut præbenda careat, qui in Canonicum noſcitur eſse receptus, *c. relatum*, *c. dilectus 19. de præb. c. cum ſuper 8. de conceſſione*. Moneta *de optione canonica*, *c. 1. q. 1. nu.* 3. & ita beneficiatus reputatur: inde cum per receptionem in Canonicum beneficium obtineat, in impetratione ſecundi reſcripti debet mentionem facere ſuæ receptionis. 3

C A P U T XXXIII.

Idem *Epiſcopo* a *Silvanectenſi*, *&* *Abbati* b *Caroliloci.*

EX parte Decani, & Capituli *c* Laudunenſis fuit propoſitum, quod cum ipſi auctoritate Apoſtolicæ *d* indulgentiæ in nobilem *e* virum I. excommunicationis ſententiam protuliſſent, procuratoribus partium propter hoc ad Sedem Apoſtolicam *f* accedentibus, & lite ſuper diverſis *g* articulis conteſtata, nos cauſſam vobis commiſimus terminandam, hoc adjecto, ut non obſtarent litteræ præter adſenſum partium *h* impetratæ. Dictus autem Nobilis citatus propoſuit, quod per litteras illas procedendum non erat, ex eo quod V. qui eaſdem litteras impetraverat, *i* falſus extiterat procurator, cum ipſe ante impetrationem litterarum ipſarum, propter ſuſpicionem, quam contra eumdem conceperat, mandatum ſibi traditum revocaſſet. Eis igitur proponentibus ex adverſo, quod ad nos, vel ad ipſos hujuſmodi *k* revocatio non pervenit, vos quod deberetis per litteras ipſas procedere, per quamdam *l* interloquutoriam protuliſtis. *Et infra*: Petente itaque procuratore ipſorum, ut inſpiceretis prædictam indulgentiam, procurator ipſius Nobilis ex adverſo reſpondit, quod non erat per jamdictas litteras *m* procedendum, exhibens alias quaſdam poſterius impetratas, inter alia continentes, ut ſi de partium voluntate procederet, cauſſam terminaretis eamdem: alioquin ipſam ſufficienter inſtructam remitteretis ad Sedem Apoſtolicam, & examen, cum indulgentia memorata. Quas litteras ipſi ex eo non valere dicebant, quia per eumdem V. & poſt revocationem mandati fuerant impetratæ. Quia vero juxta generalis ſtatuta *n* Concilii valere non debent, niſi ſit de illis perſonis, a quibus non eſt exigendum de jure mandatum: *o* mandamus quatenus ſi revocatio mandati ad procuratorem pervenit (cum minus valere debeant litteræ, quæ impetrantur ab illo, a quo mandatum dominus revocavit,) in negotio juxta priorum continentiam litterarum, non obſtantibus poſterioribus, procedatis.

N O T Æ.

1 a *SIlvanectenſi*.) Silvanectum a Silva Rezia dicitur: urbs Epiſcopalis eſt in Metropoli Rhemenſi, ob ſylvam eam civitatem circumdantem, & cingentem ſic appellata. Patronum habuit S. Regulum; nunc eſt dicata B. Mariæ, ut referunt fratres Sarmatani *tom. 3. Galliæ*, *fol.* 1016. cujus Epiſcopo Guarino ſecundo reſcribit in præſenti Pontifex, de qua Rigordus ad annum 1213. ibi: *Guarinus Silvanectenſis Epiſcopus, ſentiens ſe tam ætate, quam corpulentia ponderoſa inſufficientem oneri, quod jam per* 30. *annos portaverat, impetrata a Summo Pontifice, ſicut in jure cautum eſt, licentia, renuntiavit Epiſcopatui, & tranſtulit ſe ad Monachos Caroliloci, Ciſtercienſis Ordinis*. Alia proſequuntur de hac Eccleſia Chenu *in ea*, Boſquetus *ad Invoc. l. 1. ep. 1. & 2.*

2 b *Caroliloci*.) Quatuor Abbatiæ, ſeu Prioratus hujus nominis ſunt in Gallia; tamen in præſenti ſcribit Gregorius Abbati Caroliloci, alias Carliloci, Ordinis Ciſterc. diœceſis Silvanectenſis; cui etiam reſcribunt Alexander III. *in c. cum dilecti 3. de empt. & vend.* & Innoc. III. *in c. ex parte 10. de tempor. ord.* Hujus monaſterii initium, & ſitum refert Robertus Claudius *in catal. monaſt. Ciſterc.* per hæc verba: *Carlilocus, vel Carolilocus, Ciſterc. Ordinis, Silvanectenſis diœceſis, filia Pontigniatii, ab urbe Silvanecto duabus leucis diſtans, fundatur anno* 1126. 5. *Idus Januarii, a Ludovico VI. Craſſo, eaque fundatio confirmatur a Ludovico VII. Rege Francorum, & Duce Aquitanorum, anno Regni ſui primo*. Alia de ipſo monaſterio adducunt Manrique *t. 1. annal. Ciſterc. anno 1136. c. 6. n. 6.* Fratres Sarmatani *t. 4. Galliæ Chriſt. fol.* 219. Ejus Abbati Joanni Cadomenſi reſcribit in præſenti Greg.

c *Laudunenſis*.) Hæc Eccleſia eſt Cathedralis ſuffraganea Archiepiſcopi Rhemenſis, de qua egi *in c. 25. hoc tit.* 3

d *Indulgentiæ*.) Ex his verbis deducunt omnes antiquiores in præſenti, quod licet jure communi Epiſcopis competat jus excommunicandi, cenſuraſque Eccleſiaſticas imponendi, *cap. conquerente 16. de officio ordin. cap. corripiatur 14. quæſt.* 3. & aliis Prælatis inferioribus, ſi modo Eccleſiaſticam jurisdictionem exerceant: textus ſic accipiendi *in cap. Sacerdos 3. de offic. ordin. c. 1. de empt. & vendit. c. ſicut 33. de ſimonia*, *c. cum in Eccleſiis 10. de majorit. & ob.* Covar. *in cap. alma*, *1. p. §. 11. nu.* 11. Singularibus tamen perſonis, ſeu aliis, qui nulla juriſdictione utuntur, excommunicandi facultas denegatur: unde fit, quod Capitulum Eccleſiæ Cathedralis non poteſt de jure communi excommunicationem, ſeu aliam cenſuram inferre, niſi de ſpeciali Sedis Apoſtolicæ indulgentia, *cap. quæſivi*, *de his quæ fiunt a Prælatis*, *cap. ex parte 23. de v. ſ.* cujus doctrinæ ratio illa eſt, quod juriſdictio ordinaria de jure communi ad Epiſcopum pertinet, licet illam debeat explicare cum conſenſu Capituli, *c. Epiſcopus 15. q. 7. c. novit*, *cap. quando*, *de his quæ fiunt a Prælatis*, *cap. 3. de conſuet. lib. 6.* Unde cum Capitulum juriſdictione Eccleſiaſtica careat, excommunicandi, aut interdicendi poteſtatem non poterit exercere, niſi privilegio Pontificis, vel conſuetudine legitime præſcripta talem facultatem obtineat, *c. irrefragabili 13. §. exceſſus*, & *§. ceterum*, *de off. Ordin.* docent Sayrus *de cenſur. l. 5. c. 10. n.* 13. plures relati a Gibalino *de cenſuris diſp. 3. q. ult. fol.* 110.

5 e *Virum*.) Non expreſſit Pontifex cauſſam cenſuræ, ob quam videlicet Capitulum nobilem illum excommunicatione ligaſſet. Suſpicor tamen latam fuiſſe excommunicationem ex cauſſa manifeſtæ injuriæ, ut in text. *in c. ex par. 23. de v. ſ.* Quæri tamen non inutiliter poſſet, an in his Hiſpaniæ Regnis nobiles excommunicari poſſint ob cauſſam meri debiti civilis. Anſam dubitationi præbent lex 3. cum ſequenti, lex 14. *tit. 2. lib. 6. recopil.* quibus cavetur, nobiles propter debitum civile in carcerem detrudi non poſſe: quo argumento idem dicendum eſſe contendunt in excommunicatione, cum excommunicatio non modica ſervitutis ſit ſpecies, Gomez de Leon *reſponſo* 14. Cevallos *communium q. 701. n.* 1. Felicianus *l. 2. de cenſib. c. 3. num.* 9. Late probant Narbona *in d. l. 14. gloſſa* 1. Collantes *lib. 2. pragmat. c.* 14. ſed eorum ſententia communiter rejicitur, atque contraria communi praxi recepta eſt, tam circa nobiles mulieres, quam circa agricolas, qui certis anni temporibus pro debito civili carceri mancipari nequeant.

6 f *Accedentibus*.) Hinc aperte intelligimus, tam Capitulum, quam nobilem virum conſtituiſſe procuratores, ut ad Sedem Apoſtol. accederent: unde deducunt Cardin. *in præſenti*, Barboſa *n.* 22. excommunicatum procuratorem in judicio conſtituere poſſe, imo, & neceſſario illum conſtituere teneri, *ex c. intelleximus*, *de judiciis*: docent plures, quos refert, & ſequitur Balboa *ibi*, *n.* 70. licet contrarium defendant alii ab eo citati *nu.* 69.

7 g *Articulis*.) Hinc etiam colligitur, poſſe in uno, eodemque judicio ſimul plures quæſtiones agitari; quod etiam docetur *in l. heredes 25. §. de pluribus*, *ff. familiæ erciſc. l. cum duobus 52. §. ſi plures*, *ff. pro ſocio*, *c. 2. de capel. monach.* idque receptum eſt cauſſa finiendarum litium; quod tamen ita accipiendum eſt, ſi modo in uno, eodemque judicio proponantur diverſæ actiones, non ejuſdem rei, ſed ex diverſis cauſſis; & ad diverſas res, *l. ſi idem 11. ff. de juriſdict. l. ult. in princip. C. de annal. except.* & quamvis non ſatis conſtet inter Doctores, an unus in hoc caſu libellus ſit, an plures, frequentius tamen obtinuit unicum eſſe, licet actiones ſint diverſæ; docent *in l. edita*, *C. de edendo*, Caſtrenſis, & Alexander, Cagnolus *nu.* 247. unde ad praxim noto, ſententiam ſuper tali libello latam, unicam eſſe, ex eaque unam tantum decimam deberi. Cagnol. *ubi ſupra*, *n.* 254.

8 h *Impetratæ*.) Regulariter enim reſcripta ad lites impetrata valent etiam ſine conſenſu utriuſque litigatoris: a qua regula duo caſus excipiuntur. Primus eſt, quando Pontifex nominatim adjecit, ut non valeat abſque conſenſu utriuſque partis; tunc enim formam reſcripti ſervari oportet, adeo ut recte exiſtimet Gloſſa hic, quod licet Nobilis iſte non revocaſset mandatum procuratorium, adhuc poſteriores litteræ ſine conſenſu partium impetratæ non valerent, ex vi hujus adjectionis. Secundus caſus proponitur *in c. ceterum 3. hoc tit.* quando ſcilicet primum reſcriptum fuit impetratum de communi litigantium conſenſu; quo caſu ſecundum obtineri non poteſt, niſi habita mentione prioris, & promiſcui conſenſus: explicat Barboſa hic *n.* 34.

9 i *Falſus*.) Ex quibus verbis colligitur, poſt revocationem mandati procuratorem falſum dici; quare Nobilis iſte intendebat reſcriptum impetratum a procuratore revocato, tamquam a falſo procuratore non valere. Plane illud ſciendum eſt, illum dici proprie procuratorem falſum, qui procurator non eſt, ſed ſe negotiis alienis offert, ſimulando ſe mandatum habere, decipiendi animo, *l. falſus 44. §. 1. leg. ſi vendidero 80. § ſi Titius*, & *§. ult. ff. de furtis*, *l. falſus 19. C. eod. l. ſi quis 18. in fine*, *ff. de ſolutionibus*, *leg. 1. §. quoties*, *ff. de vi & vi armata*, *l. 3. §. ult. ff. rem ratam haberi*, *l. ſi procuratorem 14. ff. de condict. cauſſa*, *l. 1. §. ult. ff. quod juſſu*, *l. licet 56. ff. de judiciis*, *l. licet 24. C. de procuratoribus*. Dicitur item falſus procurator ille, qui cum mandatum haberet, poſtea dominus revocavit, & ſcienter perſeverat, ſimulatque ſe eſſe procuratorem, *c. in noſtra 4. de procuratorib.* & quamvis in noſtro textu falſus procurator dicatur ille, qui revocatus erat, & non certior factus, ut docet Gloſ. verbo *Falſus*; tamen ut recte conſiderat Barboſa *n.* 37. in his verbis continetur partis allegatio, non Pontificis reſponſum. Notandum etiam eſt, geſta per falſum procuratorem poſſe a domino rata haberi, *d. l. licet 56. d. l. ſi procurator 14. l. ſi pupilli 6. §. item*, *ff. de negotiis geſtis*, nulla habita differentia inter falſum procuratorem, & revocatum: ſed hoc ita accipiendum eſt, dummodo ante ratihabitionem adverſa pars non oppoſuerit falſitatem mandati. Azevedo *in l. ult. n. 7. tit. 21. l. 4. recop.* Barb. *in l. alia*, *§. eleganter*, *n. 5. ff. ſolut. matr.* Guttier. *conſ. 9. n.* 4. Farinac. *dec. 1. in noviſſimis*. Quod vero Gloſſa in præſenti, verbo *Procurator*, diſcrimen conſtituit inter falſum procuratorem, & revocatum, procedere debet, cum agimus de procuratore revocato, & non certiorato; nam procurator falſus, ſeu denuntiatus de revocatione, nec dominum obligat, nec ſolventem liberat: procurator vero revocatus, ſi ignoret revocationem, & dominum obligat, & ſolventem liberat ipſo jure, ſi modo uterque procurator & debitor, ignorans ſit, *l. ſi ſervus 32. l. qui hominem 34. §. ſi Titium*, *l. cum quis 38. §. 1. ff. de ſolutionib. l. ejus qui 41. §. placebat*, *ff. de rebus creditis*. Plane ſi debitor ignorans ſolvat procuratori ſcienti revocationem, & ſimulanti, debitor non ipſo jure, ſed ope exceptionis liberatur, ſi modo paratus ſit cedere condictionem furtivam, quam habuit contra procuratorem, *d. l. cum quis 38. §. is cui*. Nec obſtat lex *ſi quis 28. in fine*, *ff. de ſolutionibus*, dum ait in hac ſpecie debitorem ſimpliciter liberari. Cui reſpondet Cujacius *tract. 7. ad Africanum*, *in d. §. 1.* textum illum exponendum eſſe de liberatione per exceptionem: nec novum eſt in jure, ut liberari dicatur, qui per exceptionem liberatur, *l. qui hominem 34. §. ſtipulatus*, *ff. de ſolution.* juncta lege ultima, *§. cum mihi*, *ff. de verb. ſign.* docet Oſvald. *l. 16. Donelli*, *cap. 10. lit. P.*

i *Suſpicionem*.) Licet enim regulariter poſt litem conteſtatam dominus non poſſit ſine cauſſa procuratorem revocare, ſicut ante litis ingreſsum, *l. ante 16. cum l. ſequenti*, *ff. de procurat. l. procuratoribus 22. C. eod. tit. cap. 2. eod. tit. in 6. leg. 23. & 24. tit. 5. partita* 3. Donellus *lib. 18. comment. cap.* 17. ubi Oſvald. *littera B.* ſi tamen juſta cauſa interveniat, poterit etiam poſt litem conteſtatam eum revocare. Juſtæ autem cauſæ recenſentur *in leg. poſt* 19. cum ſequenti, *ff. de procurat.* in quarum numero refertur ſuſpicionis cauſa, cujus meminit Gregorius in præſenti. Differentiæ ratio inter iſtos caſus ex eo provenit, quia ante litem conteſtatam res integra eſt, *l. 3. Cod. mandati*; & ideo mandatum poteſt revocari, *§. recte*, *Inſtit. mandati*: poſt litem vero conteſtatam procurator litis ejus dominus fit, unde ſine cauſa revocari non valet. Nec differentiam hanc evertit textus *in lib. is cujus 64. ff. de procurat.* ubi etiam ante litem conteſtatam cauſæ cognitio neceſſaria eſt, ut remoto procuratore dominus judicium per ſe ſuſcipere poſſit. Quæ difficultas adeo preſſit Cujacium *l. 22. obſerv. c.* 10. ut coactus ſit aſserere, illa verba, *cauſſa cognita*, in eo textu abundare. Sed ea, & aliis ſolutionibus omiſſis, traditis ab Accurſio, *ibi*, Julio Pacio *cent. 2. q.* 31. dicendum eſt cum Alberico, quem ſequitur Oſvaldus *d. cap. 17. littera B.* textum illum accipiendum eſſe non de procuratore, ſed de defenſore, qui ſe liti obtulit ſine mandato, qui cum effectu ſolus ad judicatum faciendum, & ſolvendum teneatur, æquum non eſt ſine cauſæ cognitione a domino revocari. 10

k *Revocatio*.) Quæ quomodo fieri debeat, dicemus late, Deo annuente, *in c. mandato*, *de procuratoribus*. 11

l *Interloquutoriam*.) Propria fuit interloquutoria ſententia, quæ ex eo dicta eſt, quia interim dum judex ſententiam definitivam profert, loquitur aliquid jubendo, *l. ex ſtipulatione 7. C. de ſent. & interl. leg. id ergo*, *§. quantum*, *ff. de his qui notantur*. Docent Donellus *l. 27. comment. c.* 1. ubi Oſvald. *littera B.* Treutlerus *volumine 2. ſelect. diſp. 23. theſi* 1. Valentia *l. 2. illuſtr. tract. 2. cap. 7. n.* 4. licet aliquando interloquutio ſignificet vocem judicis admonentis, ut *in l. in teſtamento 38. ff. de fideicommiſſ. libert.* & aliquando ſententiam definitivam importet, *l. 3. §. 1. ff. de offic. Præfect. vig.* dicemus fuſe *in c. ſuper eo 12. de appell.* 12

m *Procedendum*.) Quod verum erat, ſi cum mandato procurator non revocatus impetraſset ſecundas litteras, priorum facta mentione, ut exponit Moneta *de commut. c. 6. n.* 369. & nos diximus ſupra *in c. ſi autem* 9. 13

n *Concilii*.) Lateranenſis videlicet, relati *in c. nonnulli*, *§. ſunt*, ubi notavi, *hoc tit.* 14

o *Mandamus*.) Concludit Pontifex, priores litteras, non vero poſteriores ab eodem procuratore impetratas, valuiſse: ſed cur magis primæ, quam ſecundæ ſuſtineantur, quandoquidem ambæ ab eodem procuratore revocato impetratæ fuerunt, difficilis inſpectionis eſt, & quæ antiquorum Interpretum ingenia torſit, in variaſque traxit ſententias, ut videre eſt apud Gloſsam hic, verbo *Propter*, Innocentium, Joannem Andream, Cardinalem *oppoſit.* 3. Barbat. *num.* 97. Ex quibus illa frequentior reſolutio eſt, quod priores litteræ fuerunt in judicio impetratæ, poſteriores vero extra judicium: qua fit ut priores valuiſsent, quia procuratoris revocati notitia ad judicem, ut adverſarium, non pervenerat, quæ neceſſaria erat, ex adducendis *in dict. cap. mandato*; poſteriores vero inutiles fuerunt, quia ſatis erat ad illarum invaliditatem, quod ſolus procurator de revocatione certior fieret. Sed hæc communis interpretatio diſplicuit Butrio *in præſenti*, *num.* 29. ex eo, quod in præſenti quæſtione non poteſt conſtitui ulla differentia inter judicialia reſcripta, & extrajudicialia; & quia admiſſa etiam hac differentia, tam priores, quam poſteriores litteræ judiciales dici debebant, ut docent Abbas, *hic*, *numer.* 10. Barbatia *numer.* 96. Quare hac, & aliis exploſis ſolutionibus, probabilior videtur expoſitio Abbatis *hic*, *numer.* 11. qui ait, in præſenti caſu ideo prævalere priores litteras, quia procurator revocatus illas impetravit, ignorante alio Capituli procuratore revocationem; cum enim ille procurator deſtinatus eſſet ad proſequendam litem cum Capitulo, ſeu ejus procuratore, geſta per Capitulum cum falſo procuratore tenuerunt, antequam de ejus revocatione certior haberetur, *l. ſi fidejuſſor. 29. §. 1. ff. mandati*: plane ſecundum reſcriptum a procuratore fuit impetratum in utilitatem domini revocantis, ideoque ad ejus nullitatem no- 15

BIBLIOTECA CENTRAL

neceſſe non fuit, niſi ut ſolus ipſe procurator certior fieret, cum alterius non interſit: & hinc provenit ratio, quare in præſenti textu ſignanter expendatur circa primum reſcriptum, revocationis notitiam ad adverſarium non perveniſſe, non ita circa ſecundum; quia in ſecundo reſcripto adverſarius in nullam captionem incidebat, quæ in primo caſu ſine dubio contingeret, ſi revocatio utilis eſſet. Abbatem ſequitur Barboſa *in præſenti*.

CAPUT XXXIV.

Idem *Decano & Magiſtro G. Canonico* a *Leodienſi*.

Significante V. nos noveris accepiſſe, quod cum R. contra V. *b* Rhemenſis diœceſis ſuper quibuſdam *c* pannis, & aliis ad judices litteras impetraſſet, idem V. excipiendo propoſuit, quod cum ipſe non de Rhemenſi, ſed de Leodienſi diœceſi exiſteret, per hujuſmodi litteras (cum de diœceſi Leodienſi non facerent aliquam mentionem) conveniri de jure non poterat, nec debebat. Et quia exceptionem hujuſmodi admittere denegarunt, noſtram audientiam appellavit. Ideoque mandamus, quatenus, ſi eſt ita, revocato in irritum, &c.

NOTÆ.

1 a *L*Eodienſi.) Leodium civitas eſt antiqua Eburorum, totius Principatus Leodienſis caput, cujus ſitum & antiquitatem referunt Bucerus *in Belgio Romano, fol.* 589. Fratres Sarmatani *tom.* 2. *Gallia Chriſt. fol.* 638. In ea ſunt duæ Eccleſiæ æque Cathedrales, alia S. Joannis Evangeliſtæ, alia S. Dionyſii, quarum mentio extat *in c. veniens, de renunt.* ubi notavit Cironius. De dignitatibus Decani, & Magiſtri Scholæ egi *in c.* 2. *c. cum dilecta* 22. *hoc tit.*

b *Rhemenſis.*) Quæ eſt Metropolis Galliæ, ut probavi *in cap. olim* 25. *hoc tit.* 2

c *Pannis.*) Apud nos *Pannos*; unde Pannifex dicitur qui pannos texit, ut probat Joannes Voſſius *de vitiis ſerm. verbo Pannifex*. Textum hunc expoſui ſupra *in cap. ſuper* 20. *numer. fin.* 3

CAPUT XXXV.

Idem *Priori* a *S. Laudinenſis*, & b *Succentori Rhotomagenſi*.

Rodulphus Clericus Rector Eccleſiæ S. Chriſtophori de civitate *c* Sagienſi, ſua nobis inſinuatione monſtravit, quod cum Magiſter R. eum per quaſdam litteras contra Epiſcopum Sagienſem, & quoſdam alios Sagienſis diœceſis, ſuper reditibus, & rebus aliis impetratas a nobis, coram judicibus ſuper eadem Eccleſia per generalem clauſulam (Quidam alii,) conveniſſet; idem Rector propoſuit excipiendo, quod cum eſſet de civitate Sagienſi, & ſub eadem clauſula nullus de civitate ipſa intelligatur incluſus, conveniri non poterat per eamdem: & quia dicti judices exceptionem hujuſmodi recuſarunt admittere, noſtram audientiam appellavit. Ideoque mandamus, quatenus, ſi ita eſt, revocetis in irritum, &c.

NOTÆ.

3 a *S. Laudinenſis.*) Cum nulla reperiatur Eccleſia hujus nominis in Metropoli Rothomagenſi, aut diœceſi Sagienſi; reperiatur autem monaſterium S. Andoeni in diœceſi Rhotomagenſi, de quo plura Fratres Sarmatani *t.* 4. *Gallia Chriſt. fol.* 101. credebam in præſenti legendum eſſe *S. Andoeni*. De diœceſi Rhotomagenſi jam nonnulla adduxi ſupra *in cap. cum contingat*.

b *Succentori.*) Succentor eſt qui præcentori canenti canendo reſpondet. D. Iſidorus *l.* 7 *Etymol.* D. Baſilius *ep.* 63. ibi: *Cum id muneris datur, ut quid canendum eſt, prior ordinatus, qui ſuccinat*: cujus officium ſpectabat ad Scholam Cantorum, ut dicemus *in tit. de officio Primicerii*.

c *Sagienſi.*) Sagienſis, ſive Saicorum civitas eſt provinciæ ſecundæ Lugdunenſis, ſub Archiepiſcopatu Rhotomagenſi, cujus etiam mentio fit *in c. ex inſinuatione, de procurat.* Ejus ſitum, & originem referunt Fratres Sarmatani *t.* 3. *Gallia Chriſt. fol.* 971. Chenu *in Chronologia Gallia, in ipſa Eccleſia*. In præſenti agitur de Gervaſio I. qui eam Eccleſiam rexit uſque ad an. 1228. 3

CAPUT XXXVI.

Idem *Abbati* a *S. Jacobi*.

Significavit nobis Comitiſſa Namurenſis, quod cum mortuo Comite fratre ſuo, ipſa in ejus ſucceſſerit *b* Comitatu, G. & B. per quaſdam litteras Apoſtolicas contra *c* Tullenſem Epiſcopum, & quoſdam alios Clericos impetratas, eam coram judicibus (ad quos obtentæ fuerant) ſuper quadam ſumma pecuniæ, quam eidem fratri ſuo ſe mutuaſſe dicebant, per illam generalem clauſulam (Quidam alii,) quia in prædicto Comitatu ſucceſſerat, convenerunt. Excipiente itaque procuratore ſuo, quod cum adhuc frater ejuſdem mulieris viveret, quando eædem litteræ impetratæ fuerunt, nec per ipſas, dum viveret, fuerat ad judicium evocatus, earum auctoritate non poterat conveniri. Et quia judices exceptionem non admittebant ipſius, noſtram audientiam appellavit. *Et infra*: ideoque mandamus, quatenus ſi eſt ita, revocato in irritum, &c.

NOTÆ.

1 a *S. Jacobi.*) Monaſterium SS. Jacobi, & Chriſtophori in Epiſcopatu Tullenſi eſt, Ordinis S. Benedicti, ut refert Lambur. *in ſerie Abbatiarum, verbo Tullenſis*.

2 b *Comitatu.*) In Gallia enim, ubi eſt Namur, feminæ non excluduntur a feudis, *cap.* 18. *de conſuet. c. finali, de conceſſ. præb. cap. Abbate* 25. *de v. ſ.* & ſuccedunt in eis, ut probat Arniſeus 2. *par. de jure reipub. ſect.* 12. *num.* 2. Præfertur autem filius feminæ, ut ſine controverſia ab omnibus ſcribentibus admittitur.

3 c *Tullenſem.*) De Eccleſia Tullenſi egi *in cap. cum acceſſiſſent, de conſtitut.*

COMMENTARIUM.

4 *Concluſio traditur, & probatur.* Ex his tribus deciſionibus ſequens deducitur diſputanda aſſertio: *Reſcriptum juſtitiæ impetratum contra Petrum civem unius diœceſis, non extenditur contra Petrum incolam alterius civitatis, aut diœceſis, aut eo defuncto, contra ejus heredem.* Probant eam text. *in c. paſtoralis, in fine, c. ult. hoc tit. c. cum olim* 31. *c. licet, cap. P. & G. de officio deleg. cap. ex parte, cap. compromiſſum, de arbitris, cap.* 2. *cap. ſuſceptis* 6. *hoc tit. in* 6. *cap. finali, de præbendis, eod. lib. cap. accuſator, §. ſi vero, de hæreticis, eod. lib. l.* 2. *C. de diverſis reſcr.* Illuſtrant ultra congeſtos a Barb. *in præſenti*, Petrus Greg. *in præſenti*, & *lib.* 74. *ſyntagm. cap.* 3. Oſvaldus *lib.* 17. *Donelli, cap.* 10. *lit. P.* Sahagun *in cap.* 1. *de alienat. judic. mut.* Cujacius, Alciatus, Vega, & Balboa *in cap. quia* 11. *de judiciis*, Morla *in Emporio, tit.* 2. *de juriſd. q.* 21. Moneta *de commut. c.* 6. *n.* 363. & *c.* 8. *n.* 305. & *de conſervatoribus c.* 10. *n.* 199. Tuſchus *lit. R. concl.* 113. *n.* 13. Fachineus *l.* 6. *controv. c.* 66. plurimi relati a Salgado *de retent. Bullarum l.* 2. *c.* 12. *per totum*, Arellano *in antimon. antimonia* 3. Fermoſinus *in c. quia, de judiciis, q.* 1. Baſilius *de matr. l.* 8. *c.* 17. *§.* 2. *n.* 21. Alexander Ludoviſius *dec.* 34. Joannes Andreas *in regula Qui in jus, de reg. juris l.* 6. Gothofredus *in l. fin. C. Theod. de diverſis reſcriptis*.

5 *Traditur ratio dubitandi.* Sed hæc aſſertio difficilis redditur ſequentibus argumentis. Primum ex eo naſcitur, nam demonſtratio falſa non vitiat diſpoſitionem, *l. cum tale, § falſa, ff. de cond. & demonſt. §. falſa, Inſtit. de legatis, l. demonſtratio* 17. *ff. eod. tit.* quia dum de corpore conſtat, de demonſtratione non curatur, *l falſa, l. nominatim* 34. cum aliis, *ff. de condit. & demonſt.* Igitur ſi de perſona Petri conſtat, quamvis erretur in demonſtratione diœceſis, vel civitatis, reſcriptum vires obtinet, & per illud poteſt conveniri. Secundum adverſus ſecundam noſtri textus partem, ubi aſſerimus, adverſus heredem, ſeu ſucceſſorem non tranſire reſcriptum impetratum contra prædeceſſorem, ex eo provenit; nam certum eſt heredem univerſalem repræſentare defunctum, cum ſuis cauſſis, vitiis, & obligationibus, *l. heres* 22. *ff. de uſucap. authent. de jureſurando, in principio, collat.* 5. Hottomanus *illuſtrium q.* 25. ideoque omnibus obligationibus, & actionibus ex contractibus, vel quaſi provenientibus, quibus tenebatur defunctus, etiam ipſe heres tenetur, *l. ex contractibus* 48. *l. ex depoſitis, ff. de obl. & act.* late Pichardus *in §.* 1. *Inſtit. de perpetuis & temp.* Sed reſcriptum juſtitiæ tantum conceditur ad exercitium actionum, quæ oriuntur ex dictis obligationibus: ergo ſicut actiones tranſeunt ad heredem, ita, & reſcriptum; & per conſequens eo reſcripto, quo conveniri poterat de-

functus, ejus heres conveniri valet. Augetur primo hoc argumentum ex ſatis vulgari principio, quo docetur, heredem conveniendum eſſe coram eodem judice, coram quo teſtator conveniri poterat, *l. heres* 19. ubi plura Petrus Barboſa, *ff. de judiciis, leg.* 32. *tit.* 2. *par.* 3. quia quoad forum nullam ex perſona heredis obligatio defuncti accipit diverſitatem, ut pluribus ampliationibus, & limitationibus late illuſtrantes docent Carleval. *de judiciis diſp.* 2. 2. *to. q.* 5. Fermoſinus *in d. c. quia, de judiciis, q.* 8. ergo ſi prædeceſſor virtute reſcripti poterat conveniri coram judice deſignato in reſcripto, ſucceſſor poterit coram eodem judice ſimiliter conveniri. Secundo augetur hæc difficultas, nam certum eſt, lite conteſtata inſtantiam jam inceptam tranſire in ſucceſſorem, *l. in hoc judicio, ff. familiæ erciſcundæ, c. pendet. de officio deleg.* docent Caſtillo *l.* 2. *controv. c.* 9. *per totum*, Fermoſinus *in d. c. quia* 11. *q.* 7. ſed oblatio precum, & conceſſio Principis, quæ concurrunt in reſcripto, pro lite conteſtata habentur, *l.* 1. *C. quando libel. Princ. datus*, quæ pars eſt legis *poſt celebratam, C. Theod. de denunt. l. illam* 33. *Codice de donationibus, l. non dubium, C. Theod. de diverſis reſcriptis*: ergo poſt reſcriptum impetratum conveniri poteſt, non ſolum qui in eo nominatus eſt, verum & ejus ſucceſſor, cum per litis conteſtationem jam non ſit res integra, ut expreſſe docetur *in l. finali C. Theod. de diverſis reſcriptis*.

6 *Reſcripta ſtricta ſunt.* Quibus argumentis minime obſtantibus verum eſt, reſcripta non extendi ad alias perſonas præter deſignatas in ipſis, ita ut ſi reſcriptum impetretur contra unum, alius etiam ejuſdem nominis conveniri non poſſit: ut ſi impetretur reſcriptum contra Petrum diœceſis Salmantinæ, non poteſt conveniri eo reſcripto Petrus diœceſis Zamorenſis, ex præſenti capite *ſignificante*; nec Petrus incola ipſius civitatis, *d. c. Rodulphus*: ſimiliter ſi reſcriptum impetretur contra aliquod monaſterium ſuper re ad monaſterium ſpectante, non poterit conveniri Abbas ipſius monaſterii: vel e contra, ſi reſcriptum concedatur contra Abbatem, non poterit conveniri monaſterium, cum diſtinctæ ſint res monaſterii, & Abbatis, *c. edoceri* 23. *hoc tit.* Nec ſolum aliæ perſonæ extraneæ in reſcripto non deſignatæ conveniri non poſſunt, verum nec ſucceſſores, vel heredes illius perſonæ, quæ expreſſa fuerat in reſcripto, *c. ſignificavit* 36. *hoc tit.* Sicut enim morte aut delegantis, aut delegati re integra expirat juriſdictio delegata, *c. gratum, c. relatum, c. licet, de off. deleg.* ita mortuo eo, adverſus quem reſcriptum impetratur, expirat, quia reſcriptum non extenditur ad perſonas incognitas, *c. finali, hoc tit.* faciunt lex *ſi deceſſerit* 4. *ff. qui ſatisdare*, lex *Paulus* 2. *ff. quæ ſententiæ ſine appell.* Moez *in c.* 1. *hoc tit. l.* 6. *n.* 16.

7 *De clauſula, Quidam alii.* Quæ omnia licet procedant in reſcriptis generaliter, & indiſtincte impetratis, tamen ſi in illis adjecta ſit clauſula illa, *Quidam alii, omneſque alios ſua intereſſe putantes*; tunc alii non deſignati in reſcripto, coram judicibus in eo datis conveniri poſſunt, *c. ſedes, hoc tit. c. cum in multis* 2. *eod. tit. l.* 6. Martha *de clauſulis, par.* 1. *clauſula* 86. Barboſa *eod. tr. clauſ.* 94. Moneta *de conſervat. c.* 6. *n.* 367. plures relati a Salgado *de ſupplic. ad ſanctiſſim.* 2. *p. c.* 12. *per totum*: ſed licet virtute hujus clauſulæ poſſent conveniri omnes alii, quorum intereſſe vertebatur in ipſo negotio, tamen hodie poſt conſtitutionem textus *in d. c. cum in multis, hoc tit. l.* 6. ultra tres, aut quatuor conveniri nequeunt, ut ſic fraudi occurratur, ut ait Pontifex in eo textu: & debet impetrator reſcripti illorum nomina expreſſe demonſtrare, adeo quod ante citationem debeat fieri hæc nominatio eorum, qui conveniendi ſunt virtute prædictæ clauſulæ: nec judex datus in eo reſcripto habet ante juriſdictionem, quæ interim eſt incerta. Barboſa *ubi ſupra, n.* 7. Salgado *n.* 9. Nec vigore dictæ clauſulæ poſſunt conveniri perſonæ privilegiatæ, niſi facta ſpeciali earum mentione, *c. ſedes, hoc tit.* nec comprehendit prædicta clauſula perſonas majores, ut Principes; nec alias qualificatas, *d. cap. ſedes*, nec univerſitates, Eccleſiarum Capitula, aut Collegia, ſeu ſimiles communitates, quas enumerat Moneta *d. c.* 6. *n.* 362.

8 *Traditur ratio deciſionis.* His ſuppoſitis ratio præſentis concluſionis, videlicet reſcripto generaliter impetrato, conveniri non poſſe niſi perſonas in eo deſignatas, non alias, nec earum heredes, ex eo provenit: nam juriſdictio, quæ per reſcriptum juſtitiæ committitur, ac delegatur, eſt odioſa, & ſtricta, *c. cauſam* 16. *c. prudentiam* 23. *cum tribus ſequent. de offic. deleg. c. ad aures* 8. *c. ad hæc* 10. *c. paſtoralis* 14. *c. ſedes* 15. *hoc tit.* Marcus Antonius *l.* 1. *inſtit. tit.* 4. *n.* 10. Petrus Gregor. *l.* 24. *ſyntagm. c.* 3. & *in c. ex parte, hoc tit.* Morla *d. q.* 21 ergo protrahi non debet ultra perſonas in reſcripto deſignatas. Accedit, nam reſcripta contra perſonas incertas jure expediri non poſſunt, *c. finali, hoc tit. c. P. & G. de officio deleg.* Igitur perſonæ non deſignatæ in reſcripto, eo conveniri non poſſunt. Deinde, nam juriſdictio in reſcripto conceſſa pendet a voluntate, & intentione delegantis, *c. gratum*, cum aliis, *de officio deleg.* ſed voluntas delegantis fuit, ut vi illius reſcripti poſſent conveniri in eo deſignati: igitur ad alios extendi non poteſt. Quæ quidem ratio procedit in ſucceſſore ejus, qui reſcripto deſignatus eſt: nam mortuo eo contra quem reſcriptum fuit impetratum, neceſſario illud corruit, cum non conſtitiſſet in perſona convenienda in reſcripto deſignata, *l.* 2. *quæ ſententiæ ſine appellat.* unde audiendi non ſunt Abbas, Innocentius, Joannes Andreas, & Butrius, omneſque fere antiquiores, quos ſequuntur Vega *in dict. c. quia* 11. *n.* 31. Moneta *dicto c.* 6. *n.* 306. aſſerentes, per reſcriptum impetratum contra certam perſonam, conveniri poſſe ejus heredem, etiamſi perſona deſignata deceſſerit re integra; qui accipiunt textum *in dicto c. ſignificavit*, eo caſu, quo reſcriptum impetratum fuit cum clauſula, *& quidam alii*; tunc enim ajunt dicti Interpretes, quod ſi ex perſonis non deſignatis aliqua deceſſerit, heres ejus non poteſt conveniri. Sed hæc ſententia ex ſupra dictis facile convincitur: verius enim eſt, ſive cum clauſula, *& quidam alii*, ſive ſine ea ſpecialis perſona deſignetur, ſi ea tamen decedat re integra, ejus heredem conveniri prædicto reſcripto non poſſe, ſed neceſſarium eſſe novum impetrare contra ipſum, ut ex pluribus defendit Salgado *d. c.* 12. *n.* 24.

9 *Diſſolvuntur argumenta.* Nec obſtant argumenta in contrarium adducta. Non primum deductum *ex d. l. falſa demonſtratio*; nam licet principium illud procedat in legatis, & ultimis voluntatibus, non tamen admittitur in reſcriptis, quorum natura odioſa, & ſtricta eſt, nec poteſt extendi ultra ea, quæ expreſſa ſunt, tantumque videtur diſpoſitum, quantum expreſſum, ut ſupra probavi. Nec ſecundum argumentum aſſertionem noſtram evertit; nam licet heredes ſuccedant in univerſum jus defuncti, ita ut obligationibus, & actionibus, quibus defunctus tenebatur, & ipſi obſtringantur; tamen non tenentur reſcripto contra defunctum impetrato, poteſt enim conveniri heres, aut coram ejus judice ordinario, aut cora delegato, virtute alterius reſcripti; & ſic coram eo conventus, & damnatus ſolvere cogitur. Nec augmentum primum ipſius difficultatis refragatur; nam procedit cum defunctus re non integra, ſed lite cum eo conteſtata deceſſit; ad hoc enim ut ſucceſſor conveniri poſſet coram judice alieno, coram quo defunctus conveniri poterat, neceſſe eſt, ut judicium ſit cœptum cum defuncto, ita ut ſi in ejus vita juriſdictio non fuerit fundata, non coram eo judice, ſed coram ſuo, ordinario videlicet, conveniendus erit, *l. ſi conſtante, §. finali, ff. ſol. matr. l. ſi is qui Romæ, l. ſi petitor* 31. *ff. de judiciis*: illuſtrant varias inde in praxi quæſtiones reſolventes Carleval *ſupra*, Salgado *ubi ſupra, n.* 30. Fermoſinus *in dicto c. quia, verſ. de judiciis, q.* 11. Nec ultimum augmentum difficultatis obſtat, quia procedit jure civili attento, quo inſpecto, reſcripta perpetua erant; unde ab heredibus, & contra heredes allegari poſſe docetur *in l. ſimili, C. Theod. de diverſis reſcriptis*, ubi legendum eſſe, *nec aboleri caſibus impetrantium*, placuit Fornerio *in l.* 162. *§. ſi quis, ff. de v. ſ.* non, *impetratum*, ut communiter legitur. Quod antea conſtitutum lego a Conſtantino *in l.* 2. *C. Theod. de diverſis reſcriptis*. At vero jure canonico reſcripta perpetua non ſunt, unde contra heredes non dantur. Nec obſtat, quod oblatio precum, & reſponſum Principis pro litis conteſtatione habetur, *l.* 1. *C. quando libellos*; nam id procedit ex ipſo jure civili, ob cauſſam præſcriptionis, ut ita perituris actionibus ſuccurreretur; quare non quoad omnia oblatio precum pro litis conteſtatione habetur: & cum jure hoc Pontificio attento litis conteſtatio non inducatur ex ſola reſcripti impetratione, ſed ex conqueſtione unius partis, & alterius reſponſione, *c. relatum, de officio deleg. c.* 1. *de litis conteſt.* ideo reſcriptum impetratum contra prædeceſſorem non datur in ſucceſſorem, niſi lis fuerit conteſtata cum defuncto; tunc enim quia res integra non eſt, judicium tranſit in heredem: docet Cironius *in paratit. l. ad hunc titulum*.

10 *Exponitur c. dilecti* 2. *de foro comp.* Sed præſenti aſſertioni primo obſtat textus *in c. dilecti, de foro compet.* ubi proponitur, quoſdam cives Romanos mutuam pecuniam credidiſſe Epiſcopo Dunelmenſi, tunc negotia ſuæ Eccleſiæ Romæ procuranti, quam pecuniam Epiſcopus promiſit ſe certo loco ſoluturum; ſed in ſolutione eo ceſſante, cives Romani litteras impetrarunt ad Abbatem S. Genovefæ, ut coram eo poſſent convenire prædictum Epiſcopum; ſed cum re integra adhuc non citatus Epiſcopus deceſſiſſet, Romani cives intendebant convenire ratione ipſius reſcripti ejus ſucceſſorem Eccleſia Dunelmenſi: ſucceſſor oppoſuit, quod cum Anglus eſſet, habebat privilegium, ne extra provinciam, & trans mare conveniri poſſet. Conſultus fuit Gregorius IX. qui reſcripſit, ſucceſſorem Epiſcopi conveniri potuiſſe litteris prædictis contra prædeceſſorem impetratis, & compelli ab ipſo Abbate pecuniam mutuo acceptam a prædeceſſore ſolvere: ex quo textu expreſſe colligitur, & deducit Gloſſa in eo, ſucceſſorem conveniri poſſe litteris impetratis contra prædeceſſorem. Cui difficultati ſatisfaciendum eſt aſſerendo, ideo in ea ſpecie ſucceſſorem potuiſſe conveniri per reſcriptum contra Epiſcopum Dunelmenſem ejus prædeceſſorem impetratum, & cogi pecuniam mutuo acceptam ſolvere, quia reſcriptum impetratum fuit non ſub nomine proprio, ſed potius dignitatis, videlicet contra Epiſcopum Dunelmenſem, & quia mutuum contractum fuerat intuitu dignitatis; & quoties debitum contrahitur ratione dignitatis, poteſt ille, qui in dignitate ſucceſſit, conveniri, & ad illius ſolutionem cogi, *c.* 1. *de ſolut. c.* 1. *de depoſito, c.* 2. *de precario*. Plura Fermoſinus *in c. quia, verſ. de judiciis, q.* 11. 12. 16. & 18. quia dignitas nunquam moritur, *c. quoniam, de offic. deleg. c. ſi gratioſe, de reſcriptis in* 6. Molina *de primogeniis l.* 1. *c.* 10. *n.* 15. Luna, & Arellanus *dicta antinom.* 3. *n.* 5. Unde cum Epiſcopus Dunelmenſis ſemper idem crederetur, ideo reſcripto impetrato contra prædeceſſorem ſucceſſor conveniri valet.

11 *Explicatur c. quia de judic.* Secundo præſenti aſſertioni obſtat textus difficilis, licet vulgo notus, *in c. quia, v.* 11. *de judiciis*, ubi proponitur Petrum certam Eccleſiam per violentiam occupaſſe, & cum Joannes ſpoliatus reſcriptum impetraret, ut reſtitueretur illi ſua Eccleſia, Petrus deceſſit: quæſitum fuit a Cæleſtino III. utrum Epiſcopus Vvintonienſis, & Abbas S. Albani, judices dati in reſcripto, poſſent procedere adverſus ſucceſſorem Petri, qui ſucceſſit in prædicta Eccleſia? Et Cæleſtinus III. decrevit virtute talis reſcripti contra Petrum impetrati, conveniri poſſe ſucceſſorem in ipſa Eccleſia: igitur quia reſcriptum tranſit ad ſucceſſorem. Quam difficultatem ut effugiat Gloſſa *in d. c. quia*, quam ſequuntur antiquiores ibi docet textum illum accipien-

cipiendum eſſe de ſucceſſore vitioſo ſciente : quo caſu cum defuncto? ut docet Gloſſa *in verbo Quod idem; in c. denique 7. q. 1.* non immerito per reſcriptum obtentum contra anteceſſorem ſucceſſor convenitur: quæ interpretatio adſtruitur *ex c. ſæpe 18. de reſt. ſpol.* ubi contra vitioſum ſucceſſorem competit remedium poſſeſſorium perſonale, perinde ac contra ipſum ſpoliantem, ex ratione ibi adducta, quæ ad caſum textus *in d. c. quia*, protrahenda eſt, quo modo etiam intelligitur textus *in c. 1. de alienatione judicii*. Quæ interpretatio probatur ex ipſo textu, prout jacet poſt Concilium Later. *tit. de ſpoliat. c. 9.* ubi loco verbi, *Ingreſſus*, quod vulgo habetur, legitur, *intruſus*; quod ſignificat vitioſam poſſeſſionem, *c. cum jamdudum 18. de præbendis, c. veniens 15. de accuſat. c. 3. de exceſſibus Prælat.* Verum hæc interpretatio admitti non debet, quia non conſtat in jure, ſucceſſorem ſcienter in vitio eamdem perſonam cenſeri cum anteceſſore; & fictio ſine lege introduci non poteſt; *l. ſi forte 8. ff. de caſtrenſis peculio*: ubi Bartolus, Menochius, *l. 1. de præſumpt. c. 9. n. 18.* Caſtillo *l. 3. controv. c. 19.* Imo ſi ſedulo perpendamus textum *in d. c. ſæpe*, contrarium ex eo deducitur: ſiquidem fruſtra novum remedium Pontifex indulgeret, ſi vitioſus ſucceſſor eadem perſona cum anteceſſore crederetur; tunc enim certum eſt, interdictum *unde vi*, contra eum competere, quemadmodum contra heredem, & ſimiles ſucceſſores, *l. 1. §. ult. ff. unde vi*: deinde quia non conſtat *in d. c. quia*, agi de vitioſo ſucceſſore, cum id neceſſario non evincat verbum, *intruſus*; imo aliquando intruſus dicitur is, qui cum bona fide, ſed ſine juſto titulo poſſeſſionem ingreditur, *c. finali, de exceſſibus Prælat. quia 5. de conceſſ. præb. c. 2. de in integr. reſtit.* probant Menochius *de recuper. remedio 15. n. 469.* Frances *de intruſione, c. 1.* Nec favet traditæ interpretaioni textus *in d. c. ſæpe*; nam verius eſt, rationem ibi ab Innocentio adductam ſubjici cauſſa probandi jus novum, quod ipſe ſtatuebat: quæ ratio ante illam conſtitutionem ſufficiens non erat ad abrogandum jus civile. Nec etiam facit pro ea interpretatione textus *in d. c. 1. de alienatione judicii*; quoniam dicendum eſt cum Gloſſa ibi, verbo *commutationem*, quam ſequuntur Cardinalis *q. 5.* ibi, Abbas *n. 5.* Bellamera *n. 12.* Antonius *in c. P. & G. n. 19. de officio deleg.* textum illum accipiendum eſſe ex ſpeciali prohibitione Pontificis cauſſa coercendi fraudem illius, qui ut eliderct reſcriptum Pontificis, in alium tranſtulit rem, de qua coram delegato futura erat controverſia : quare mirum non eſt, reſcriptum in eo caſu ad ſucceſſorem, contra huc uſque tradita in hoc commentario, protrahi. Cui interpretationi mire conveniunt verba illa, *Nos igitur contra prædictam calliditatem, &c.* Quia etiam interpretatione accipi poſſunt textus *in c. 1. c. ſuper eo, de officio deleg. c. veniens, de teſtibus, c. propoſuit, de conceſſ. præb. c. cum univerſorum, de rerum perm. c. paſtoralis, c. ſedes, hoc tit.* in quibus ex ſpecialibus rationibus cavetur delegati juriſdictionem ad alias perſonas ultra expreſſas in reſcripto extendi. Quare hac interpretatione, & & aliis in ejus commentario adductis, omiſſis, dicendum eſt, multum intereſſe, an reſcriptum concipiatur in rem, an in perſonam? Primum non ſolum locum habet in perſona rei, contra quam impetratur, verum & contra ejus ſucceſſorem, ex vi verborum, & mente concedentis, veluti ſi reſcriptum ita concipiatur; ut Eccleſia reſtituatur; in qua ſpecie loquitur Cæleſtinus *in d. c. quia*: ſecundum vero non datur in ſucceſſore. Neque hæc diſtinctio inſolens in jure eſt, ſiquidem frequenter occurrit in actionibus, *l. actionum 24. ff. de obl. & act. §. omnium, Inſtit. de actionibus*. Sic exceptiones aliæ ſunt in rem, aliæ vero in perſonam, *l. 4. § ultimo, ff. de doli except.* & pacta alia ſunt realia, alia perſonalia, *l. juris gentium, §. pactum, ff. de pactis*: & etiam reſtitutio interdum in rem, interdum in perſonam datur, *l. in cauſſa 13. §. finali, ff. de minoribus*: unde reſcriptum in rem ad ſucceſſorem tranſit, *c. dilecti, de foro compet.* non vero in perſonam conceptum. Nec interpretatio refellitur ex eo, quod *in d. c. quia*, mentio fiat perſonæ anteceſſoris, ut patet ex illis verbis, *Quia V. qui dicebatur in reſcripto Eccleſiam detinere violenter*: unde deduci videtur, reſcriptum potius perſonale, quam reale fuiſſe : nam huic difficultati, quam expendebam in commentario ipſius textus, reſponderi poteſt ex doctrina textus *in l. juris gentium, §. pactorum, ff. de pactis*, ubi dicitur, plerumque evenire, perſonam pacto miſceri, non ut perſonale pactum reddatur, ſed ut demonſtretur, cum quo pactum initum eſt : cujus argumento idem in reſcripto relato *in d. c. quia V.* dici oportet, quod etſi perſona in reſcripto exprimatur, tamen ejus effectus non in perſonam, ſed in reſtitutionem dirigitur, & ita reale potius creditur, quam perſonale.

12 Exponitur l. cum quaſi, c. de fideic. libert.

Etiam opponi poteſt textus *in l. cum quaſi 30. ff. de fideicom. libert.* ubi aſſerit Ulpianus, decretum interpoſitum a Principe ad heredem defuncti tranſire: igitur ſimiliter reſcriptum impetratum adverſus Titium, ad ejus heredem tranſit. Pro cujus textus expoſitione varia adduxerunt repetentes *ibi*, & *in l. ſi deceſſerit 4. ff. qui ſatiſdare cogantur*: qui communiter aſſerunt, ideo in ejus textus ſpecie decretum interpoſitum, videlicet ex juſta cauſſa abeſſe eum, qui libertatem erat præſtiturus, & ſi is jam deceſſiſſet, in heredis perſonam tranſire, ut juſpatronatus eidem conſervetur ex SC. Daſumiano, *l. neque infantes 36. verſiculo Quid, l. non tantum 61. §. 4. de fideicom. liber.* quia illud decretum magis rem, quam defuncti perſonam reſpiciebat; exemplo decreti interpoſiti ſuper alienatione rerum minorum, quod in rem magis quam in perſonam concipitur: unde cum ſit reale, non immerito in heredem tranſit. Diverſa eſt, cum qui promittit Titium in judicio ſiſtere; nam cum hoc perſonæ cohæreat, non poteſt ad heredem tranſire, ex regula legis *non ſolum, §. tale, ff. de liberat. legata*: quo caſu procedit textus *in d. l. ſi deceſſerit 4.* Nec obſtabit, ſi dicas, decretum interpoſitum in ſpecie legis *cum quaſi*, ex eo nullum eſſe, quia jam deceſſerat is qui libertatem erat præſtiturus, argumento legis *de qua re 75. §. cum abſentem, ff. de judiciis, l. penultima, ff. quæ ſententiæ ſine appellat.* Nam reſpondeo, magnum diſcrimen verſari inter ſententiam, præceptum, & decretum : priora enim duo ſi contra defunctum ferantur, non valent, *dicto §. cum abſentem, diſt. lib. penultim.* ceterum decretum, ex juſta cauſſa abeſſe, interpoſitum, ideſt ſuſtinetur contra defunctum *in d. l. cum quaſi*, quia mortuus juſta cauſſa abeſſe dicitur, *lib. mulieri 13. §. abeſſe, ff. de v. ſ.* notavit Albericus *in d. l. ſi deceſſerit, n. 2.*

C A P U T XXXVII.

Idem *Abbatis* a *S. Victoris*.

EXtra inſinuatione Epiſcopi *b* Ambianenſis accepimus, quod I. Clericus ſuper ejus proviſione ad ipſum præceptorias, & poſtmodum ad vos exequutorias contra eum litteras impetravit. *Et infra*: Quocirca mandamus, quatenus ſi nullæ monitoriæ ſuper hoc præceſſerint, exequutoriis ſuperſedeatis eiſdem, dummodo eædem exequutoriæ de monitorii fecerint *c* mentionem : alioquin in exequutionis negotio juxta directum ad vos pro ipſo mandatum, ratione prævia procedatis.

N O T Æ.

1 a S *Victoris.*) Pariſiis eſt monaſterium S. Victoris, Canonicorum Regularium D. Auguſtini, a Ludovico VI. Craſſo Rege Francorum anno 1113. conſtructum, non longe ab urbe, de quo plura Fratres Sarmatani *t. 4. Galliæ Chriſt. 924.* Renatus Chopinus *l. 1. de ſacra pol. tit. 8. n. 5.* Cironius *in c. 2. de ſtatu monach. in 5. compil.* Boſquetus *in notis ad Innoc. l. 2. epiſt. 122.* Ejus Abbati Petro primo hujus nominis, reſcribit Pontifex *in præſenti*, & hujus monaſterii mentio fit *in c. ſignificaverunt, de teſtibus; c. cum dilectus, de elect. dicto c. 2. de ſtatu monach.*

2 b *Ambianenſis.*) Gaufridi videlicet, qui floruit in ipſa Eccleſia temporibus Gregorii IX. ut referunt Chenu *in chronol. ipſius Eccleſiæ*, Cironius *in c. ex litteris, de vita & honeſt. cleric. in 5. collect.* Ambienſis civitas, vulgo *Amiens*, dicta eſt totius Picardiæ Primaria, Rhemenſis Metropolis ſuffraganea, ubi juxta Hieronymum *in chron.* Gratianus Valentiniani filius faſces Imperii accepit: quare in C. Theodoſiano plures conſtitutiones Valentiniani, & Gratiani Ambiani datæ leguntur. Ejus meminerunt Plinius *l. 5. c. 31.* Solinus *c. 43.* Cæſar *l. 8. c. 2.* Marcellinus *l. 15.* & alii, quos congerunt Fratres Sarmatani *t. 2. Galliæ Chriſt. fol. 90.* Habet Eccleſiam Cathedralem D. Mariæ dicatam, cujus mentio fit *in c. ſignificantibus, de offic. deleg. c. unico, de clericis peregr. d. c. ex litteris.*

3 c *Mentionem.*) Nam inſtrumentum referens non valeret, niſi relatum reperiatur, ut plura afferens docet Pareja *de inſtrum. edit, tit. 1, §. 3. reſol. 3.*

COMMENTARIUM.

LIcet generalem hujus textus deciſionem omnes exponant *in c. ſuper 20. hoc tit.* pro peculiari tamen ejus explicatione ſciendum eſt, uſum litterarum Apoſtolicarum ad beneficia paulatim in Eccleſia cœpiſſe, & progreſſu temporis maxime inoleviſſe, quibus juſtis ex cauſſis Romanis Præſulibus juſtum, æquumque viſum fuit neceſſitatem conferendi beneficia ordinariis collatoribus imponere. Quamdiu enim Epiſcopi diligentes admodum in munere ſibi commiſſo fuerunt, ſingulis fuit ſervata ſua juriſdictio, *c. pervenit 11 q. 3* ſed cum poſtea ipſi cœpiſſent abati poteſtate conferendi beneficia, quam ex Pontificis conceſſione in ſuis Epiſcopatibus habebant, *c. ad honorem, de auctoritate & uſu palii, c. inaudita, de præſumpt. c. qui ſe ſcit. 2. q. 6. c. conquerente, de officio ordinarii, c. ex frequentibus, de inſtit.* eorum negligentia circa collationem in perſonas non idoneas, omiſſis dignioribus, fuit punita, *c. licet, de ſupplend. c. 2. c. quia 5. c. dilectus 12. de conceſſ. præb. c. grave, eod. tit.* Cœperunt ergo clerici conqueri apud R. Pontificem, qui in gratiam ipſorum cœpit etiam excitare Epiſcoporum negligentiam, ſuis litteris ad beneficia vacantia, ſeu vacatura conceſſis, Petrus Greg. *l. 1. de reſcrip. c. 6. n. 7.* & in præſenti Joannes Dartis *de benef. fol. 79.* Similes reſervationes Apoſtolicas ante Alexandrum III. notas fuiſſe probat Alteſſera *de Ducibus c. 7.* & conſtat; ſiquidem Innocentius II. prębendam proxime vacaturam in Eccleſia Trecenſi Guarino conceſſit. Petrus Cluniacenſis *l. 2. epiſt. 33. cum duabus ſequent.* ibi: *Pro Guarino clerico monachum noſtrum præcurrente, ſatis ſobrium nobis Dominus* 4

minus Papa mandatum impoſuit, ut ſi libera præbenda pateret, ei daretur; ſi non, prima quæ occurreret, præberetur. Sane ab Alexandro III. id genus proviſionum valde frequentatum fuiſſe, ſatis ſuperque notum eſt ex variis epiſtolis in hoc volumine compilatis, & ex epiſtola 43. apud Sirmundum *in calce epiſt. Petri Cellenſis*, ubi ita ſcribit : *Paſtoralis cura, & ſollicitudo, quam licet immeriti, diſponente Domino gerimus, nos admonet propenſius, & hortatur pro viris Eccleſiaſticis, & præſertim pro his, qui nullum habent Eccleſiaſticum beneficium, & ſunt bonæ opinionis, & famæ, ſolicitos ſemper, & ſtudioſos exiſtere, & Eccleſiarum Prælatos, ut eis in competentibus beneficiis provideant, propenſius invitare. Hac itaque ratione inducti, &c.* Obſervarunt Florens, & Joannes Acoſta *ad hunc titulum.*

5 De diverſis litteris ad beneficia.

Etiam ſciendum eſt, litteras a R. Pontifice ante Tridentinum impetratas ad beneficium, triplicis generis fuiſſe, monitorias, præceptorias, & executorias. Monitoriæ erant quibus Pontifex ordinariis collatoribus jubebat, ſeu admonebat, ut his, pro quibus ſcribebat, beneficia conferrent, ſi quæ tunc vacarent, vel proxime vacatura ad eorum collationem ſpectantia; primo enim Pontifex verbis mitioribus utebatur, & primum reſcriptum admonitionem potius, quam juſſum continebat : unde litteræ illæ dicebantur monitoriæ, ſuaſoriæ, exhortatoriæ, ut probat Cironius hic *circa finem*. Sequebantur deinde præceptoriæ, quæ ſtrictius obligabant : illis Pontifex præcipiebat iiſdem Ordinariis, ad quos antea monitorias direxerat, ut conferrent beneficium vacans, vel vacaturum, *c. dilectus 27. de præbend.* dicebanturque præceptoriæ, ad ſimilitudinem præceptorum Regiorum, de quibus paſſim in formulis veteribus, & in Capitularibus Caroli magni : aliquando tamen Pontifex utebatur verbo *Hortamur*, & præceptum ſignificabat, juxta tenorem materiæ, ſuper qua reſcribebatur, *c. dudum*, ubi Gloſſa, *18. q. 2.* iſtæ tamen litteræ non omnino obligabant ordinarios collatores; unde inventum fuit genus litterarum exequutorialium. Exequutoriæ enim erant, quibus mandabatur exequutoribus in ipſis litteris deſignatis, ut ordinarios collatores cogerent ad conferendum beneficium ei, qui gratiam impetraverat, de quibus *in c. eam te 7. c. conſtitutus 19. c. poſtulaſti 27. c. in noſtra 32. c. capitulum 39. c. mandatum 38. c. litteris 39. c. Abbatem 40. c. ſi proponente 42. hoc tit. c. poſtquam 13. de præbend. l. 6. c. ſi ſoli, de conceſſ. præbendæ, eod. l.* Inter eas autem litteras hic ordo ſervatur, ut monitoriæ, & præceptoriæ procedant, exequutoriæ vero ſequantur, licet aliquando ex ſpeciali gratia ab exeqùtoriis incipiatur, *c. capitulum 3. hoc tit.* notat Gloſſa *in præſenti* : quare in hoc textu litteræ exequutoriæ, ut falſæ reijciuntur, ſi in eis dicatur monitorias, aut præceptorias præceſſiſſe.

Sed cum ordinarii collatores his litteris ægre obtemperarent, & aliis quam impetratoribus, pro quibus ſcriptum erat, beneficia conferrent; nam illæ litteræ non ita Ordinarios ligabant, ut in contrarium facta collatio irrita, vel nulla eſſet, *c. dilectus 27.* ubi Gloſſa *verbo Duxerit, de præb. c. propoſuit, de conceſſ. præb.* niſi clauſula irritans fuiſſet appoſita, *c. inter cetera; c. dilectio, de præb.* vel niſi impetrator in Eccleſia, in qua expectabat præbendam, fuiſſet jam in Canonicum receptus, *d. c. ſi poſtquam 3.* Innocentius III. *l. 1. epiſt. 113.* aut exequutor litteris datus ante collationem inhibuiſſet, ne alii conferret beneficium, quo caſu exequutor virtute ſuæ commiſſionis beneficium ſuæ collationi reſervat, *c. tibi quidem, de præb. l. 6. c. ſi ſoli, de conceſſ. præb. eod. lib.* ſucceſſit in locum harum litterarum uſus mandatorum, quæ ſtrictius obſtringunt ipſos Ordinarios, adhibitis etiam exequutoribus, quibus poteſtatem concedit Pontifex conferendi beneficium, ſi Ordinarius negligat, vel renuat conferre poſt præſentationem mandati legitime, & ſuo tempore factam ; beneficiumque adeo eſt impetranti affectum, ut alii conferri non poſſit, *c. Apoſtolicæ 22. de præb. in 6. c. ſi Capitulo 5. de conceſſ. præbendæ, eod. lib.* docent Petrus Gregorius *in c. Capitulum, hoc tit.* Azor. *2. part. inſtitutionum, l. 6. c. 32.*

C A P U T XXXVIII.

Idem a *Novienſi Epiſcopo*.

MAndatum *b* Apoſtolicum ad te *c* directum, ut Magiſtrum S. faceres in Canonicum recipi, & in fratrem Novienſis Eccleſiæ, ſi *d* pro alio ibidem non ſcripſimus, qui hujuſmodi gratiam proſequatur, alio jam beneficium per noſtras litteras obtinente proſequi non teneris. Cum ſuper receptione duorum gravandi Eccleſiam antedictam non fuit intentio mandatoris.

N O T Æ.

1 a N*ovienſi.*) Novienſi Eccleſia a Vaſeo in Hiſpaniæ Chronico ponitur in Regno Galeciæ, ubi etiam a Ptolomeo deſcribitur : ſed eſſe in Tarraconenſi provincia, in civitate Novionis, docet Petrus Greg. *in præſenti*. Ejus mentio fit *in c. 1. de litis conteſt. c. ad petitionem 22. de accuſat. c. paſtoralis 7. de cauſſa poſſeſſ.*

2 b *Mandatum.*) Id eſt reſcriptum; licet enim mandatum dicatur de quocumque alio negotio, ut in Jure Civili, quoties mandatur alicui judicium, cognitio, ſeu juriſdictio, *l. 4. ff. de officio ejus*; proprie tamen reſcriptum mandatum vocatur : unde litteræ Principium dicuntur mandata & reſcripta *l. 5. §. 1. ff. de cenſibus.*

c *Directum.*) Ut ordinarium collatorem; aliquando enim reſcribitur ipſi collatori, ut conferat; aliquando vero alteri, ut faciat exequi litteras monitorias, ut dixi in textu antecedenti. Epiſcopo etiam aliquando iſtæ litteræ mittuntur, ut *c. ſi ſoli, de conceſſ. præb. l. 6.* aliquando Epiſcopo, & Capitulo, ut *in c. litteris, hoc tit. c. fin. de præbend. l. 6. c. nonnumquam, c. tantum, c. eam te 7. hoc tit. c. ſi Capitulo, de conceſſ. præb.* ſecundum naturam beneficii, de cujus collatione agitur, Petrus Gregor. *hic*. 3

d *ſi pro alio.*) Hæc clauſula hodie ineſt in reſcriptis Apoſtolicis; & licet apponatur in numero plurali, ſufficit, quod verificetur in ſingulari, ut ſecundæ litteræ vires non habeant. Plura de hac clauſula adducens docet Barb. *de clauſulis, clauſ. 167.* Et nos textum hunc expoſuimus *in c. Cap. hoc tit.* 4

C A P U T XXXIX.

Idem.

a LItteris Apoſtolicis ad vos directis, ut G. Clericum reciperetis in Canonicum, & in fratrem, niſi pro alio fuiſſet per nos Eccleſia veſtra gravata, mandatum noſtrum vos exequi volumus, & mandamus. Non obſtante quod T. Subdiaconum per noſtras litteras executorias recepiſtis, qui a bonæ memoriæ *b* H. prædeceſſore noſtro monitorias impetravit. Cum factum prædeceſſoris noſtri potius, quam noſtrum fuerimus *c* proſecuti.

N O T Æ.

1 a L*itteris.*) Videlicet monitoriis, præceptoriis, & executoriis, de quibus late Staphileus, Gomez, & Rebuffus *tit. de mandatis Apoſt.* Azor. *t. 2. l. 6. c. 32.* Moneta *de commut. c. 6. n. 264.* Petr. Greg. *l. 1. de reſcrip. c. 4.* & nos etiam egimus *in c. ex inſinuatione, hoc tit.*

b *H.*) Honorio videlicet III. 2

c *Proſecuti.*) In clauſula enim, *Si pro alio non ſcripſimus*, continentur proviſi ab eomet Pontifice, non vero proviſi a prædeceſſoribus ejus Barb. *de Clauſulis, clauſ. 167.* 3

C A P U T XL.

Idem.

ABatem *a* qui mandatum Apoſtolicum jam recepit, ut S. Clerico in *b* aliqua Eccleſiarum ſui monaſterii provideret, & per litteras generales ad diœceſanum Epiſcopum obtentas, ut in Diœceſi ſua (ubi pro alio ſcriptum non eſſet) faceret provideri, cogi juris ratio non permittit, nec ſuper conferendis Eccleſiis, aut beneficiis aggravari, etiamſi facultatem habeat Diœceſanus per eaſdem litteras providendi.

N O T Æ.

1 a A*Bbatem.*) Ad quem ſpectabat collatio beneficiorum, aut virtute privilegii, aut præſcriptionis, aut conſuetudinis, ut hic Interpretes ſupponunt, & exponunt.

2 b *In aliqua.*) Quæ conſuevit regi per clericum ſæcularem, alias per regularem non poſſet conferri Clerico ſæculari, niſi expreſſe in ipſis litteris Apoſtolicis hoc præſcriberetur, *c. cum de benefic. de præb. l. 6.* junctis traditis a Barboſa *ibi*; non enim quodlibet beneficium poteſt obtineri virtute mandati Apoſtolici : nam litteræ expectativæ non extendunt ad dignites Eccleſiaſticas. *c. cum in cunctis, de præb. in 6. Clement. 1. eod.*

BIBLIOTECA CENTRAL